Vom Ursprunge der Schrift: Conjectural observat[illegible]
on the origin and progress of alphabetic Writing Lond.
[illegible]-8. 1767. 3 fig. [illegible]
[illegible] Gott [illegible]
[illegible]


[illegible]

[illegible] hält der [illegible]
[illegible]
[illegible] 1803 u. 28 [illegible]
[illegible]
[illegible] I. p. 33 [illegible]
[illegible] patres [illegible] receperunt [illegible] 18 p. 82 [illegible]

[illegible]

INTRODUCTIO
GRAMMATICO-CRITICA
IN
LINGUAM GRÆCAM,
QUA
DE LINGUÆ ILLIUS
ORIGINE ET ANTIQUITATE, NATURA,
FATIS AC SUBSIDIIS, DE PRÆCIPUIS GRAMMATICES GRÆCÆ MOMENTIS, LINGUA ET TEXTU N. T. GRÆCO, DE VERSIONIBUS DENIQUE V. T. GRÆCIS
DISSERITUR,
IN USUM JUVENTUTIS φιλέλληνος
EDITA
à

JOH. SIMONIS
HISTOR. S. ET ANTIQUIT. PROF.





HALÆ MAGDEBURGICÆ,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI,
MDCCLII.

Jenm 1771 pr Schulz Hal.



PRÆFATIO.


Ut hanc *in Linguam Græcam Introductionem Grammatico-Criticam*, haud ita pridem abs me promiſſam, publici facerem iuris, duæ potiſſimum cauſæ me impulerunt. Primo enim iam dudum in deſideratis habui eiusmodi opuſculum, quo iuventuti, ad penitiorem linguæ Græcæ cognitionem adſpiranti, breviter & ſuccincte exhibeatur, quicquid præter vulgarem inſtitutionem Grammaticam nudamque fere Textus N. T. Græci Analyſin ſcitu quodammodo neceſſarium videri queat. Cum itaque pro officii mei ratione iuvenibus noſtris, litterarum Græcarum cupi-

dis, rerum illarum ſciagraphiam quandam ſubinde tradiderim, ex prælectionibus illis enatam hanc *Introductionem* publicæ exponere luci eo minus dubitavi, quo minus de eiusmodi ſcriptorum copia querendi cauſas ſuppetere novi. In ea enim incidimus tempora, quibus *Philologiæ* ſtudia plane elangueſcere & tantum non ſordeſcere cœperunt: quæ ut opera mea qualicunque excitarem atque promoverem, in votis meis ſemper habui. Huc certe præſens hic labor ſpectat: cuius edendi cauſa altera fuit, ut auditores mei impoſterum labore illo ſuperſedere poſſent, quo defungi opus habuerunt, quotquot mea hanc in rem collectanea & cogitata in uſus ſuos adhuc deſcripſerunt; nec metuendum mihi eſſet, ne, ut aliquoties accidit, plagulæ meæ, cum illis communicatæ, vel disſiparentur vel plane disperirent. In ipſa tractatione ita proceſſi, ut primum linguæ Græcæ *denominationes*, *originem* ac *antiquitatem*, *naturam*, *fata* & *ſubſidia* expoſuerim; hinc de præcipuis

cipuis momentis Grammaticis, ut de *Litteris* & *Syllabis* earumque *Accidentibus*, de *Accentibus* nimirum, *Spiritibus* &c. de *Partibus Orationis*, *Syntaxi*, *Prosodia*, *Figuris Grammaticis*, *Dialectis*, *Interpunctionibus* & *Mensibus* Græcorum, tractavi; denique vero quicquid de *Lingua* & *Textu N. T. Græco*, de *Versionibus* item *V. T. Græcis* ſcitu neceſſarium videbatur, in medium produxi. Singula illa, ex præſtantiſſimis quibusque Grammaticis atque Philologis congeſta & digeſta, iuventuti, non Viris doctis, qui longe limatiora exſpectant, exhibeo. Si quis vero argumentorum prolixiorem discuſſionem hinc inde deſideret, ille ſciat, id nec inſtituti mei rationem, nec opuſculi permiſiſſe brevitatem. Supplementi loco unum hoc ad *Introduct.* p. 102. ſubiicio: circa *Affectionem* Syllabarum, *Hyphen* vulgo dictam, non convenire inter Grammaticos. Sunt, qui de *Hyphen* illo omnino tacent. Quidam, Accentu prioris vocis omiſſo, ſcribunt

 e. g.

e. g. πασι ‿ μέλουσα; alii cum Accentu, πᾶσι ‿ μέλουσα; alii denique, ut KOEBERUS in *Grammat. Græc. Golio-Weller.* p. 18. πασι ‿ μελοῦσα: quos & ego imprudens ſecutus ſum infra p. 102. cum verior ſcriptura procul dubio ſit prima illa πασι ‿ μέλουσα. Apud ipſum vero HOMERUM *Odyſſ.* XII. 70. (ubi Epitheton eſt navis *Argo*,) vulgo ut una vox legitur, πασιμέλουσα; per *Hyphen* tamen diſtinguendum docet APOLLONIUS *Dyscolus* L. I. CANINIUS denique in *Hellenismo* p. 166. vitioſe habet πασι ‿ μένουσα. Faxit Deus, ut & hæc conamina mea in commodum publicum cedant, &, quam propediem typis exſcribendam habeo, *Introductio Grammatico-Critica in Linguam Hebraicam*, ſimili methodo adornata, ſine impedimento in lucem prodire poſſit. Scribebam Halæ Magdeburgicæ pridie Calend. Octobr. A. C. MDCCLII.



SECTIO

SECTIO I.

DE

LINGUA GRÆCA IN GENERE.



SECTIO I.

DE LINGUA GRÆCA IN GENERE.

CAPUT I.

DE LINGUÆ GRÆCÆ DENOMINATIONIBUS, ORIGINE ET ANTIQUITATE.

§. I.



Linguam Græcam in genere confideraturis, quinque nobis circa eam obſervanda occurrunt: 1) eius *denominationes*, 2) *origo* & *antiquitas*, 3) *natura* & *qualitates*, 4) *fata*, adeoque brevis quædam illius linguæ *hiſtoria*, & denique 5) varia eiusdem diſcendæ *ſubſidia*. Vocatur itaque hæc lingua,

 Græca,

Græca, ἑλληνική: quia vernacula quondam fuit *Græcorum*, τῶν ἑλλήνων. Nemo non perspicit, *Græcus* & *Græca* esse *Denominativa* a Γραῖος, Lat. *Graius*. At vero jam quæritur: unde huic genti nomen *Graiorum* inhæserit? Sunt, qui illud nominis derivant a *Graia*, Boeotiæ urbe, HOMERO *Iliad.* II. 498. memorata: ut adeo *Graius* magis nomen speciale sit, quam generale. Alii a γρήϊος, γεραιὸς sive γηραιὸς i. e. *antiquus*, deducunt, vel a γραῖα, quod, teste HESYCHIO in *Lexico*, idem sit cum γαῖα, *terra*: quia Græci, maxime Arcades & Athenienses, de summa antiquitate gloriabantur, semet προσελήνους, *luna antiquiores*, vocitantes, & αὐτόχθονας, i. e. non ab aliis gentibus ortos, sed in ipsa illa regione, quam incolebant, *ex terra* quasi *prognatos*: qua de re VAL. ERN. LOESCHERI *Jon* sive *Origines Græciæ* p. 10. seq. pluribus conferri possunt. Cum vero ista Græcorum gloriatio omni plane fundamento destituatur; immo potius ex Scriptura S. constet, omnes gentes a Noachi filiis, atque adeo ex oriente ortum ducere, mallem ego, ut plurima Græcæ linguæ vocabula primitiva, ita & nomen Γραῖοι, Lat. *Graii*, deducere a plur. Syro-Chaldaico sive Phœnicio גֵּרַיָּא h. e. *peregrini*, *advenæ*: (a) prout & alterum nomen ἕλληνες ex mente

(a) Quamvis aliter sentiat SALMASIUS de *Lingua Hellenist.* p. 342. 376. cui Γραῖοι & Γραικοὶ dicti sunt a *Rhagau* sive *Regu* filio Pelegi, per metathesin: quem etiam AUG. BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 40. & D. G. PLARRIUS in *Philologia Aphoristica* p. 18. sequuntur.

mente HILLERI descendit a plur. עֲלִין i. e. *accessores*, *advenæ*, & nomen urbis Athenarum a Phœnicio אָתִין *advenientes*, *advenæ*, q. d. urbs *advenarum*: quod Græci in terra illa, quam ex oriente accedentes occupabant, *peregrini* essent & *advenæ*. Siquis vero scriptores Græcos & Latinos profanos de nomine *Græcorum* & τῶν ἑλλήνων consulat, ex PLINIO *Hist. Nat.* L. IV. c. 7. discet, *Græcos* dictos esse a *Græco*, primo ipsorum rege, ἕλληνας autem, testibus eodem PLINIO, STRABONE, PAUSANIA, THUCYDIDE aliisque, ab *Hellene*, filio Deucalionis. Id enim auctoribus Græcis Latinisque fere in more positum est, ut gentium ac locorum nomina, veræ originis nescii, a personis derivent, quæ non raro nunquam in rerum natura fuerunt. Præcipua regio, τοῖς ἕλλησι sive *advenis* illis habitata, fuit ἑλλὰς, i. e. regio τῶν ἑλλήνων. (b) BOCHARTUS tamen in *Phaleg* L. III. c. 4. originem vocis ἑλλὰς ex sacris litteris arcessit, *Hellas*, ut & *Elis*, nomen urbis & regionis in Peloponneso, cum nomine *Elisæ*, filii Javanis, Gen. 10, 4. conferens. Ab *Elisa* insuper etiam ἕλλην deducit SALMASIUS l. c. p. 358. quod dictum sit pro ἕλλης,

(b) Est enim ἑλλὰς proprie Adiectivum fœm. Denominativum ab ἕλλην, ut subintelligendum sit Substantivum χώρα, idque per Syncopen, pro ἑλληνὰς, in huiusmodi Denominativis frequentissimam, e. g. in ἰὰς pro ἰωνὰς *Jonica*, εἰκὰς pro εἰκοσιὰς, ἐνὰς pro ἐννεὰς &c. qua de re aliquando pluribus in *Onomastico Græco*.

ἕλλης, ut Τέλλιν pro Τέλλις, Τραχὶν pro Τραχὶς &c. Utut ſit, certe de eo vix dubitandum, *Jones*, nobiliſſimam Græcorum nationem, immo omnes Græcos a *Javane*, Japheti filio, traxiſſe originem: id quod & JOSEPHUS diſerte teſtatur *Antiquit. Jud.* L. I, c. 7. & Interpretes Græci LXX. Hebr. יָוָן per ἑλλὰς, יְוָנִים autem per ἕλληνες vertunt; & יון alia punctatione facile legitur *Jon;* & HOMERO *Iliad.* XIII. 685. *Jones* audiunt Ἰάονες, quod cum *Javan* magis convenit; & denique Alexander M. Macedoniæ, maximæ Græciæ regionis, rex, Dan. 8, 21. *Rex Javan* vocatur. Sed hæc notiora ſunt, quam ut iis immoremur. Vid. idem BOCHARTUS l. c. c. 3. Ad linguæ itaque Græcæ *originem* & *antiquitatem* pergamus.

§. II.

Circa *originem* & *antiquitatem* linguæ Græcæ definiendam, partim in exceſſu, partim in defectu peccari ſolet. In exceſſu peccant, qui linguam Græcam omnium primam & antiquiſſimam faciunt: in quibus nominandi ſunt 1) SAID IBN PATRIK, alias Græco nomine EUTYCHIUS, Arabs ſeculi decimi ſcriptor, Patriarcha Alexandrinus, qui in *Annalibus*, a POCOCKIO cum verſione Lat. editis, p. 13. hæc habet: „*Fuit autem hominum tunc lingua* „*una & ſermo unus. Hunc quidam volunt Syria-* „*cum fuiſſe, alii Græcum: quæ ſententia mihi vide-* „*tur verior, quia lingua Græca ſapientiæ, amplitu-* „*dinis & latitudinis maius obtinet nomen.* 1) JOH. PETR. ERICUS, linguæ Græcæ Patavii quondam Profeſſor, in *Principio Philologico e myſterio renato*, edit. ib. 1686. & in Ἀνθρωπογλωττογονία ſive *Geneſi*

Genesi linguæ humanæ, edit. Venet. 1697. cuius ſententiam præter alios haud ita pridem confutatam dedit Ven. J. D. WINCKLERVS in *Hypomnemat. Philolog. & Critic.* ſtatim ab initio. 3) HERM. HARDTIUS, vir opinionum paradoxarum fœcundiſſimus, qui paſſim in ſcriptis ſuis Hebraicæ, Syriacæ, Arabicæ aliarumque linguarum orientalium natales in lingua Græca quærit, eo nomine iure meritoque caſtigatus a Celeb. C. B. MICHAELIS in Diſſert. de *Hebræa & affinibus LL. OO. a Græca derivandis*, & in *Commentatione Apologetica*. In defectu peccant, quotquot originem linguæ Græcæ ad aliam quandam linguam Europæam referunt: ut 1) OLAUS RUDBECKIUS, Suecus, qui in *Atlantica* c. 32. & 38. veterem linguam Gothicam Græcæ matrem conſtituit. 2) P. PEZRON dans *l' Antiquité de la nation & de la langue des Celtes*, & JAC. FRID. REIMMANNUS *Introduct. in Hiſtoriam Litterariam* Tom. I. p. 170. qui Græcam veteris linguæ Celticæ vel Germanicæ filiam eſſe contendunt: unde tanta utriusque linguæ affinitas. Ut taceamus GOROPII BECANI ſomnia. Tolerabilior eſt ſententia SALMASII de *Lingua Helleniſtica* p. 66. 403. &c. (c) & VITRINGÆ in *Obſ. S.* L. I. c. 7. qui duumviri linguæ Græcæ originem partim ex Hebraica & Phœnicia, partim ex Scythica arceſſunt.

§. III.

(c) Qui & in Præfat. ad CEBETIS *Tabulam* certiores nos facit de IOH. ELICHMANNI quondam conatibus in reducendis Græcæ linguæ originibus ad veterem Scythicam.

§. III.

Probabilissimum est, Græcam, saltem quoad fundamentum & prima quasi stamina, esse ex linguis, in ipsa confusione Babylonica & subsecuta dispersione ortis, adeoque Hebraicæ primam debere originem, ceu ex cognatione plurimorum & tantum non omnium primitivorum Græcorum cum radicibus Hebraicis apparet: cuius rei exempla copiosissime exhibent, quotquot vel de *convenientia* & *harmonia linguarum* disseruerunt, vel Græcæ linguæ conscripserunt *Etymologica:* ut G. CRUCIGER in *Harmonia IV linguarum cardinalium*, LUD. THOMASSINUS in *Glossario Universali*, MATTH. MARTINIUS in *Cadmo Græco-Phœnice*, JOH. CONR. KESLER de *Convenientia Hebræorum & Græcorum*, THOM. HAYNE de *Linguis in genere & variarum linguarum harmonia*, JOH. AVENARIUS in *Lex. Hebr.* HENRICUS MUHLIUS in Dissert. de *Origine variarum vocum*, LEOPOLDUS PONATUS in *Introductione in harmoniam linguarum*, MERICUS CASAUBONUS de IV *linguis*, STEPH. GUICHARDUS dans *l'Harmonie Etymologique des langues*, SCHIEFERDECKER in Diss. de *commercio Hebrææ linguæ cum aliis*, SAM. KOENIG in *Etymologico Helleno-Hebræo*, aliique apud WOLFFIUM in *Bibliotheca Hebraica* Vol. II. p. 636. & Vol. IV. p. 318, 319. & apud VITRINGAM l. c. Qua vero ratione factum sit, ut in confusione illa & dispersione ex Hebraica tot aliæ linguæ interque eas & Græca exortæ sint, nostrum non est pluribus hic disquirere. Placet tamen quædam hanc in rem afferre. Sunt, qui Deum momento novas creasse linguas contendunt, invitis Scripturæ verbis, quibus Deus non *creasse*, sed saltem *confudisse*

ſe linguam hominum diſerte dicitur. Aliter itaque res concipienda eſt. Primo enim ſupponendum, varietatem linguarum non ſtatim fuiſſe tantam, ut alter ne verbum quidem alterius intelligeret; ſed eandem ſucceſſu temporis & quaſi per gradus cepiſſe incrementa: cum etiam vel minima varietas hominibus iſtis repente conſternandis, confundendis, irritandis & diſſociandis eoque a moleſtisſima turris ædificatione avertendis ſufficeret. Ipſam autem illam linguarum confuſionem & mutationem ita eveniſſe putamus: ut 1) multarum vocum ſignificatus plane confunderentur inque alios ſenſus detorquerentur: e. g. quod Hebræis *panis* dicitur, id Arabibus *caro* eſt; Hebr. כֶּלֶב vel, ut Arabes & Aethiopes efferunt, kälb, *canis*, Germanis in *vitulum* degeneravit; Hebr. עֵגֶל *vitulus*, iidem in *erinaceum*, פֶּרֶד *mulus*, in *equum* transformarunt; ſicut ex סוּס *equus*, Latinis natus eſt *ſus*, ex אַלּוֹן *robur*, (arbor) *alnus*; ex אֶלֶף *bos*, Latini æque ac Græci *elephantem*, bovem Lucanum, exſculpſerunt &c. quæ obſervatio eſt JOBI LUDOLFI in *Commentario ad Hiſtoriam Aethiopicam* p. 148, 149. 2) Ut litteræ transponerentur: quomodo ex Hebr. רחם *miſertus eſt*, Aethiopes fecerunt מחר, ex כתש *diruit*, כסת; ex בֶּרֶךְ *genu*, deflexerunt Arabes Verbum ſuum רכב *percuſſit in genu;* Hebr. ברק *ſplenduit*, iidem mutarunt in הבק &c. 3) Ut Conſonantes non una ratione efferrentur, maxime vero *Gutturales*, quas nonnulli inſuper plane eliderent. 4) Ut ex lingua primigenia una atque altera littera extruderetur vel ab-

jiceretur, prout e. g. ab Hebr. פעל Græci fecerunt suum ποιέω. 5) Ut litteræ cum litteris cognatis, maxime eiusdem *Organi*, permutarentur: sic enim Hebræorum *Schin* Arabes, Aethiopes & Græci vertere solent in simplex S, & contra Hebræorum *Sin* Arabes utplurimum in *Schin* mutant. 6) Ut Consonantes Punctis vocalibus instructæ diversis pronunciarentur: e. g. pro Hebr. עֶבֶד *servus*, Chaldæi dicunt עֲבַד vel עֲבֵד, Syri עְבֵד, Arabes עַבְד &c. 7) Ut tonus sive accentus non eodem modo figeretur: quæ toni varietas omnino & sensus varietatem gignit, cum e. g. aliud sit *lepŏres*, aliud *lepóres*. 8) Ut voces aliter ab his, aliter ab illis flecterentur & construerentur. Quibus omnibus 9) accedit, quod successu temporis nova subinde vocabula exorta sint, & climate, aëre victuque mutato, ob diversas rerum ideas, ex studio novitatis, per commixtiones gentium, bella, commercia & similia, linguæ sensim a matre Hebræa deflexerint: quod idem & linguæ Græcæ ratione accidisse statuendum est.

CAPUT II.

DE LINGUÆ GRÆCÆ NATURA ET QUALITATIBUS.

§. IV.

Ad linguæ Græcæ *naturam* & *qualitates* quod attinet, eam merito 1) dicimus linguam *antiquam*: cum non demum recen-

recentioris sit originis, sicuti Gallica, Italica multæque aliæ linguæ occidentales, sed in ipsa confusione ac dispersione Babylonica exorta. Post linguam Hebraicam sola lingua Græca nobis vetustissima conservavit monumenta. Quod si 2) lingua Hebraica eo nomine *Sancta* dici meretur, quia scripta V. T. litteris Hebraicis consignari voluit Deus, certe nec minori iure Græca appellabitur lingua *Sancta*. Est eadem 3) lingua *elegantissima*, quicquid GATAKERUS contra excipiat in Diss. de *N. T. stylo* c. 2. Prodit sese illa *elegantia* a) in pronunciatione suavissima, ab HORATIO de *Arte poëtica* v. 323. his verbis laudata:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui.

Linguæ certe Græcæ, in flore suo olim constitutæ, pronunciationem fuisse delicatissimam, vel exinde concludere licet, quod eam exteri rarissime exprimere scirent. IOSEPHUS, celebris ille scriptor Iudaicus, *Antiquit. Iud.* L. XX. c. 9. se Græcis quidem litteris non sine profectu dedisse operam, exquisitam tamen pronunciandi rationem non assecutum, refert. SEVERIANUM, Episcopum Ecclesiæ Gabalorum in Syria, licet admodum eruditus videretur, Græca tamen minus distincte pronunciasse, sed, dum Græce loqueretur, Syrum quid in eius voce resonasse, narrant SOCRATES *Histor. Eccles.* L. VI. c. 11. & SOZOMENUS *Histor. Eccles.* L. VIII. c. 10. An vero Accentus, quales hodie exstant, syllabarum quantitati omnino repugnantes, ad illam pronunciationis elegantiam aliquid contribuerint, de eo merito dubitatur. b) Græcæ linguæ *elegantia* elucet ex infinita vocum

cum *Compositione*, qua omnes alias linguas longe superat, quæque & Latinis, tanto *Compositorum* numero destitutis, eo usque arrisit, ut plurima *Composita*, maxime vocabula *technica*, a Græcis mutuo assumserint. c) Habent & Græci elegans quid in vocum constructionibus, in Oratoribus præsertim conspicuum, aliis gentibus plane inimitabile. Nemini itaque mirum videbitur, linguam Græcam olim tantopere placuisse, ut eruditus non haberetur, nisi Græcarum litterarum callidus. CICERO certe aliique Oratores Romani eloquentiam Romanam ad tantum fastigium nunquam evexissent, nisi Oratores Græcos imitati essent, ipso fatente CICERONE, recte se a Græcis sapere didicisse, conf. I. H. WINCKLERI Diss. de *studio* CICERONIS *in Græcis*. Adscendit autem lingua Græca ad tantum perfectionis gradum, eo quod Græci, ut omnium aliarum artium ac scientiarum, ita & propriæ linguæ culturæ summo incumberent studio; cum alioquin illa, æque ac Hebraica, initio multum simplicitatis referret: uti videre est ex HOMERO, antiquissimo scriptore Græco, cuius stylus antiquam simplicitatem redolet inque multis cum simplicitate Hebraica convenit, prout ZACHARIAS BOGANUS, Anglus, in *Homero hebraizante*, & IAC. CAPPELLVS in *Vindic. Casaub.* L. IV. c. 11. 12. ostenderunt. Id ipsum quoque causæ est, cur stylus Græcorum poëticus adeo simplex sit: quia omnes fere Poëtæ Græci HOMERUM imitari studuerunt; cum contra stylus Oratorum aliorumque auctorum Græcorum longe aliter comparatus sit.

§. V.

§. V.

Eſt porro lingua Græca 4) *copioſiſſima.* Si pleræque aliæ gentes opes ſuas ſimul colligerent & cum Græcorum conferrent divitiis, vix aliud efficerent, quam ut ſuam proderent inopiam & egeſtatem: graviter judicat IS. VOSSIVS de *Poëmatum cantu* p. 46. Edidit HENR. STEPHANVS *Theſaurum Linguæ Græcæ*, quinque voluminibus in forma maxima comprehenſum, nec tamen omnia vocabula Græca complexum. Certe I. H. MAIVS (fil.) *Obſ. S.* L. IV. ducentas & ſexaginta voces, cum Præpoſit. σὺν compoſitas, collegit, in *Theſauro* illo vel plane deficientes, vel non ſatis explicatas. Erudita TANAQUILLI FABRI filia, ANNA DACERIA, patrem illum ſuum ad 4000 vocabula Græca collegiſſe, nullo in Lexico obvia, refert. Qualia ſupplementa etiam JOH. GRAMMIVS in Appendice *Prodromi Antiquit. Xenophont.* & Anonymus quidam in Tom. V. *Miſcellan. Obſervat. Critic.* dederunt. Edidit haud ita pridem DAN. SCOT, Anglus, Appendicem ad STEPHANI, CONSTANTINI & SCAPULÆ *Lexica*, duobus voluminibus in fol. abſolutum. G. CLEM. DRAUDIUS *Annotationibus in N. T.* ex quatuor auctoribus Græcis, mantiſſam adiiciendam promiſit ſexcentorum in auctoribus illis occurrentium vocabulorum, quæ HENR. STEPHANUS vel plane omiſit, vel nulla aut non ſatis firma auctoritate roboravit. BERN. MONTFAUCON exeunte anno 1740. Lexicon Græcum typis exſcribendum dedit, opus quinquaginta annorum, quater mille voces, in aliis Lexicis deſideratas, exhibens. Cl. F. G. FISCHERUS in Lexico Baſileenſi, ex compluribus

aliis

aliis Lexicis Græcis compilato, ultra 85000 voces Græc. numeravit, & tamen ducentas fere, in Versione Græca & libris Apocryphis V. T. obvias, in illo desiderari observavit, vid. ejus Præfat. ad libellum: Der geschwinde Grieche. Edidit an. 1716. Gallus quidam Anonymus Specimen *Lexici Græco-Gallici*, quo in littera B Lexica huc usque exstantia ducentis vocibus auxit. Unde linguæ Græcæ copia & amplitudo apparet: quam non parum augent variæ illius Dialecti. Habent Græci ab uno themate tot Derivata & Composita, ut vel de uno atque altero integrum quoddam Lexicon conscribi queat. Evolve modo ex SCAPULÆ Lexico themata ἄγω, ἴχω, ἕω & ἕω, ἵστημι, λέγω, ἔργον, φέρω &c. Habent iidem tot Synonyma, ut PFOCHENIUS in Diss. de *styli N. T. puritate* 40 voces, *superbum* exprimentes, notaverit; nos vero adiicere possumus, Græcis ad 46 esse vocabula, quæ *asperum*, ultra 50, quæ *obscurum*, & ultra 40 Verba, quæ *convitiari* significant: unde PFOCHENIUS l. c. & GATAKERUS in Diss. de *stylo N. T.* linguam Græcam pro omnium copiosissima habere non dubitarunt; qua in re tamen merito a PFEIFFERO in *Critica S.* c. 3. sect. 2. quæst. 13. & in *Introduct. in Orient.* p. 27. redarguuntur: cum certum sit, linguam Arabicam longe esse copiosiorem, quippe quæ, ut POCOCKIUS in *Notis ad* ABULFARAGIUM p. 153. ex Grammaticis & Lexicographis Arabibus notat, ultra mille voces, *ensem* vel *gladium* notantes, quingentas *leonem*, ducentas *serpentem* & ultra octoginta *mel* exprimentes, continet, conf. GOLII *Lexicon Arab.* p. 105. HOTTINGERI Append. ad *Grammat. Harmon.* p. 171. seq.

ſeq. & WALTONI *Apparat. Bibl.* Prolegom. XIV. §. 5. & 6. Arabicæ tamen linguæ copiam proxime attingit Græca, (d) quod nemini mirum videbitur, qui conſideraverit, Græcos fuiſſe gentem ampliſſimam, dominatumque ſuum, maxime ſub Alexandro M. eiusque ſucceſſoribus, longe lateque extendiſſe, artes ſummo ſtudio coluiſſe & ſcientias, multa tractaſſe tum inter ſe, tum cum aliis gentibus commercia, plurimis adeo occupatos rerum ideis, quibus exprimendis plurimas voces neceſſe habuerunt: rerum enim copia, ut CICERO ait, verborum quoque copiam gignit, conf. LEUSDENI *Philologus Hebræo-Græcus* Diſſ. X. ſect. 4. & 5. & RITTMEIERI Programma de *Græcæ Philologiæ ambitu.* Ex omnibus gentibus Græci numeroſiſſima in lucem edidere ſcripta, adeo ut REIMMANNUS *Introduct. in Hiſtor. Litter.* Tom. I. L. 1. ſect. 3. §. 156. affirmare non dubitet, ſi omnia ſcripta, inde ab HOMERO, vel ab ANAXAGORA, qui, teſte LAERTIO in ejus vita, primus librum edidit, usque ad expugnationem Conſtantinopoleos, ſupereſſent, univerſam Achajam iis complectendis vix ſatis futuram. Teſtis eſt J. A. FABRICII *Bibliotheca Græca*, quatuordecim voluminibus in forma quarta conſiſtens, nec tamen omnem ſcriptorum Græcorum ſuperſtitum, multo minus deperditorum, farraginem recenſens.

§. VI.

(d) Nemo hanc Græcismi prærogativam in dubium vocavit, præter CICERONEM, linguæ Latinæ primas deferentem, *de finibus bonorum & malorum* L. I. n. 10. L. III. n. 5. & *Quæſt. Tuſcul.* L. II. n. 35.

§. VI.

Ob id ipsum autem Græcam linguam merito 5) dicimus *difficilem.* Multum sane operæ impenderit oportet, qui in omnis generis auctoribus Græcis inoffenso pede procedere cupit. Si quis enim, auctore uno attente perlecto & bene intellecto, ad alium pergit, in novas plane voces phrasesque, nunquam antea lectas vel auditas, incidit. Huic vocabulorum copiæ aliæ accedunt difficultates: ut vexata illa Accentuum ratio, Declinationum, Conjugationum Dialectorumque multitudo, constructionum implicatio & obscuritas, significationum unius ejusdemque vocabuli varietas, anomaliarum & exceptionum numerus fere infinitus &c. conf. DUKERI Orat. de *Difficultate interpretationis veterum scriptorum Græcorum & Latinorum*, (e) J. H. BRUCKERI *Observationes Philolog. circa causas obscuritatis in scriptoribus Græcis*, & J. H. GERNLERI Diss. de *Difficultatibus studium linguæ Græcæ comitantibus, modoque, quo levari possunt.* Istis vero difficultatibus multi a studio litterarum Græcarum deterrentur, quibus ut consuleretur, Grammatici quidam Accentus plane omittendos esse censerunt; alii insuper Declinationum ac Conjugationum numerum contractiorem dederunt: qua de re pluribus infra suo loco. Dissentientem tamen hic, præter PLARRIVM in *Philologia Aphoristica* p. 20. & A. M. RICCIUM in Orat. de *necessitate & facilitate linguæ Græcæ*, habemus HERMANNUM HARDTIUM, qui in *Studioso Græco* p. 140.

(e) Recusa exstat in Cel. KAPPII *Collectione Orationum selectarum.*

p. 140. linguam Græcam omnium facillimam, ideoque ante ipsam Latinam, statim post vernaculam, discendam esse, contendit. Id saltem lubentes illi concedimus, affinitatem linguæ Græcæ cum Germanica haud parum facilitare illius studium: quam utriusque linguæ cognationem iam dudum notarunt NEANDER in *Descript. orbis terr.* P. I. p. 279. seq. AVENTINUS in *Annalibus Bojorum* L. I. THOM. HAYNE in Diss. de *Linguis* p. 65. seq. SALMASIUS de *lingua Hellen.* p. 378. 398. BERNEGGERUS Quæst. XI. in TACITI *Germaniam*, LAZIUS de *migratione gentium* p. 25. seq. HARSDOERFFERUS in *Specimine Philologiæ German.* Disquisit. VIII. BOXHORNIUS in Diss. de *Linguæ Græcæ, Romanæ & Germanicæ symphonia*, GODOFR. LUDOVICI in Diss. de *fonte linguarum communi* §. 8. HENSELIUS in *Synopsi universæ Philologiæ* p. 461. & haud ita pridem Cl. G. L. MÜNTER in *Ephemeridibus litterariis Hanoveranis* an. 1751. n. 51. 59. conf. FABRICII *Bibliotheca Græca* Vol. X. p. 100. Offenditur affinitas illa partim in harmonia integrarum vocum, (cuius rei exempla innumera auctores modo citati, PEISKERVS item in *Indice de vernaculæ & rerum Germanicarum significatione*, J. H. VRSINVS in *Onomastico Græco-Germanico*, S. C. LIPENIUS in Epistola ad JAC. de MELLE de *Harmonia linguarum & Ablativo Græcorum* (f) aliique adduxerunt;) partim in convenientia terminationis vocum; partim denique in constructionum similitudine, vt Celeb. WÆHNER

(f) Exhibetur illa in *Bibliotheca Lubec.* Vol. II.

WÆHNER in Syntaxi *Grammatices Græcæ* oftendit. Caufas illius affinitatis noftrum non eft hic disquirere; legere tamen licet, quæ LAZIUS & BERNEGGERUS l. c. in medium produxerunt.

§. VII.

Ad commendandum vero linguæ Græcæ, quanquam difficilioris, ftudium, facit 6) fumma illius *neceffitas* atque *utilitas*. Primo enim nemo de exacta linguæ Latinæ cognitione gloriari poteft, nifi Græcæ fimul callidus: fiquidem Romani plurima vocabula a Græcis mutuati funt, quæ & fcriptionem & flexionem Græcam retinent. Quam turpiter autem fefe dant, qui docti videri volunt, & tamen in eiusmodi rebus pueriliter aberrant! Certum enim manet, quod vulgo dicitur:

Qui non Græca fimul iunxit documenta Latinis,
Hic vere docti nomen habere nequit.

Quantopere vulgo circa vocum Latinarum, a Græcis mutuo acceptarum, Genus, Declinationem, Numerum & terminationem peccetur, pluribus oftendit H. STEPHANUS de *Abufu linguæ Græcæ in quibusdam vocabulis, quæ Latina ufurpat.* Error eft vulgaris, linguam Græcam folis Theologis effe neceffariam; cum revera etiam Medicis, Jurisconfultis & Philofophis, fi non abfolute neceffaria, faltem fit proficua. Medici enim HIPPOCRATE & GALENO commode non carent: ad illos vero recte intelligendos opus eft Græcæ linguæ cognitio; ut nihil dicamus de plurimis aliis Medicorum Græcorum fcriptis, quorum recenfionem inftituit J. A. FABRICIUS l. c. Vol. XII. L. VI. c. 7. & 8. Omnia fere in Medicina vocabula *technica* Græca funt: quicun-

quicunque igitur res, vocabulis illis expressas, nosse cupit, Græce sciat oportet; conf. M. E. STURMII Orat. de *linguæ Græcæ in studio medico utilitate ac necessitate*. Jurisconsultis Græcæ litteræ prosunt ob Juris *Novellas*, vulgo sic dictas, Græce exaratas, & ob alia veterum Græcorum Jurisconsultorum scripta, a FABRICIO l. c. c. 6. & a STRVVIO in *Historia Jurisprudentiæ Græcæ* adducta; immo & in ipsis JUSTINIANI *Institutionibus* Græca quædam occurrunt; conf. *Politicus Græcus* a G. A. IMHOFF *expressus*, h. e. *Politico addiscendam esse linguam Græcam*, I. C. HEDLERUS in Diss. de *litterarum humaniorum Græcæ Latinæque linguæ cognitione*, *Advocato utili & necessaria*, DAN. MITZIUS in Diss. de *studio linguæ Græcæ cum Jurisprudentia conjungendo*, J. FR. NIC. ULRICH in Progr. *an Græca lingua legum cultori sit necessaria?* (g) Philosophis Græcarum litterarum notitia commodum præstat in Philosophia veteri, vel saltem in eius historia. Jam vero de Theologis quid dicam? Theologus Græcæ linguæ ignarus similis est cœco, qui manibus palpat, ab aliis, quo eat, ducendus. Citra enim illam nec N. T. Textum originalem interpretabitur, nec Versionem Græcam LXX Interpretum, nec Patres ecclesiæ scriptoresque historiæ ecclesiasticæ Græcos intelliget. Siquis muneri scholastico destinatus est, ille litterarum Græcarum cognitione carere omnino nequit. Superfluum foret, rem, extra omnem dubitationis

(g) Exstat illud in Cl. BIDERMANNI *Selectis Scholasticis* Vol. I. Fasc. I. p. 135. seq.

nis aleam positam, pluribus prosequi, cum illud iam dudum egerint, quotquot de *præstantia*, *necessitate* & *utilitate* illius linguæ differuerunt: ut MATTH. DRESSERUS *Orationum* L. III. p. 25. seq. LUD. CRESOLLIUS in *Mystagogo*, SCIP. CARTEROMACHUS & M. ANTON. ANTIMACHUS in Orat. de *laudibus litterarum Græcarum*, LAMB. BARLÆUS in Orat. de *Græcarum litterarum præstantia & utilitate*, STEPH. NIGER in Dialogo de *reconditis Græcarum litterarum penetralibus*, DION. VOSSIUS in *Commendatione linguæ Græcæ*, PHIL. MELANCHTHON in Orat. de *studiis linguæ Græcæ*, BUDÆUS in *Commentario ling. Gr.* col. 14 19. seq. CONR. HERESBACHIUS in Orat. *in commendationem Græc. litterar.* PETR. FRANCIUS in Orat. de *usu & præstantia ling. Græc.* HAVEMANNUS in *Methodo* p. 286. seq. JOH. SCHELIUS in Orat. græce scripta in *laudem ling. Gr.* GERCKE in Diss. de *Græca lingua divina*, *illustri & docta*, GOETZIUS in *Principe Græce docto* §. 70. seq. PERIZONIUS in Orat. de *usu atque utilitate Græcæ Romanæque linguæ*, ALEX. POLITUS in Orat. de *litterarum Græcarum necessitate*, TIB. HEMSTERHUIS in Orat. de *Græcæ ling. præstantia*, *ex ingenio Græcorum & moribus probata*, JOH. WOLFG. TRIER in Diss. de *usu linguæ Græcæ*, OUTHOVIUS in Orat. de *necessitate studii linguarum* p. 24. seq. FALSTERUS in *Idea Historiæ litterariæ Roman.* L. I. c. 2. quæst. 2. Ven. LAUR. REINHARDUS in *Historia linguæ Græcæ* c. 7. OLDERMANNUS in Orat. de *Græcarum linguarum dignitate & præstantia*, SAM. BATTIERUS in Orat. de *studii linguæ Græcæ utilitate atque commodis*, in *Museo Helvet.* P. XII. RITTMEIERUS in Progr. de *præstantissimo solidæ erudi-*

eruditionis adiumento, *lingua Græca*, A. M. RICCIUS in Orat. de *necessitate & facilitate ling. Gr.* JOH. THEIL de *lingua Gr.* JOS. PICCIUS in Prolusione de *pretio linguæ Gr.* LACKEMACHER in Orat. de *utilitate*, *quam e scriptoribus Græcis profanis capere potest V. T. interpres*, in eius *Obs. Philolog.* P. III. aliique.

CAPUT III.

DE FATIS LINGUÆ GRÆCÆ.

§. VIII.

Sequitur, ut paucis fata linguæ Græcæ, adeoque brevem quandam eius exhibeamus historiam. Methodus est perquam vulgaris, historiam alicujus linguæ tradendi secundum hominis ætatem: ubi primo occurrit nativitas, postea infantia, deinde pueritia, hinc adolescentia, porro ætas virilis, quam excipit senectus & ætas decrepita, tandemque mors; quibus vero subjicienda est restauratio & quasi ex mortuis resuscitatio. De linguæ Græcæ ortu & natalibus supra dictum. Ad ejus infantiam quod attinet, omnia ibi obscura sunt: cum nulla supersint scripta genuina, HOMERO antiquiora. Incerta sunt & fabulosa, quæ de Oraculis Sibyllinis, de Poëtis ante HOMERVM, LINO, ORPHEO, MUSÆO &c. afferuntur. Quamvis enim negari nequeat, scripta, saltem poëtica, HOMERO olim exstitisse antiquiora, ea tamen ætatem non tulerunt; carmina autem, ORPHEO, MUSÆO aliisque tribui solita, de quibus pluribus J. A. FABRICIUS in *Bibliotheca Græca* statim ab initio, supposititia sunt, id quod

 apud

apud omnes in confeſſo eſt. Facile tamen conii-cere licet, linguam Græcam initio fuiſſe incultam, elegantiæ copiæque vocabulorum expertem, nec tanto Derivatorum & Compoſitorum abundaſſe numero, magis vocibus Primitivis & Simplicibus, iisque ad ſummum diſſyllabis, abſolutam; donec ſucceſſu temporis, gente Græcorum latius extenſa aliisque populis mixta, novis vocabulis, Derivatis & Compoſitis, peregrinis, maxime Scythicis, &, ut doctiſſ. MUNTHE in *Hiſtoria ling. Græcæ* L. I. c. 2. §. 47. ſeq. probat, Aegyptiacis, auctior evaſit. Antiquam certe linguam Græcorum multis abundaſſe monoſyllabis, apud Poëtas & Lexicographos veteres hinc inde conſervatis, obſeruant IS. VOSSIVS de *Poëmatum cantu & viribus rythmi* p. 44. & PLARRIUS in *Philologia Aphoriſtica* p. 18. plurimisque exemplis oſtenderunt SALMASIUS de *Lingua Helleniſtica* p. 390. ſeq. & MUNTHE l. c. §. 33.

§. IX.

Cum HOMERO, qui juxta PETAVII computum circa Salomonis tempora, ſecundum DODWELLI vero ſententiam Manaſſis, Judæorum regis, ætate floruit, pueritia Græcæ linguæ incepit. Dici non poteſt, quanti a veteribus æque ac recentioribus ſemper æſtimatus ſit HOMERUS. Septem quondam urbes eum ſibi vendicaſſe civem, eundem poſt mortem in Deorum numerum relatum cuſisque nummis honoratum, diem eius natalem ſolenniter celebratum, pro fonte omnis ſapientiæ habitum eum, ſummisque elogiis prædicatum, omnes fere Poëtas Græcos ac Latinos ejus fuiſſe imitatores, alios ſcriptores, & ipſos adeo Jurisconſultos veteriores, ſcripta ſua exemplis teſtimo-

ſtimoniisque, ex illo petitis, confirmaſſe, pictores & ſtatuarios imagines ad deſcriptiones, ab eodem datas, effinxiſſe, poëmata Homerica in linguas adeo peregrinas, Indicam, Perſicam & Syriacam, converſa eſſe, nemo tam mirabitur, quam quod & inter Chriſtianos recentiores, inſanum quantum, HOMERI amore captos legas. ANTONIUS URCEUS, Italus, HOMERUM *amaſium ſuum* vocitavit. De CLAUDII BELURGERI inſania legendus eſt MORHOFII *Polyhiſtor* T. I. L. VII. c. 2. JAC. HUGO, Theologus pontificius, in *Vera Hiſtoria Romana* viris θεοπνεύςοις eum accenſet, multisque contendit, HOMERUM ſub everſionis Trojæ facie expugnationem Hieroſolymorum, ſubque ſchemate hiſtoriæ Græcorum, in *Iliade* deſcriptæ, Chriſti vitam, miracula, paſſionem & mortem, nec non primitivæ eccleſiæ fata, ſub *Harpyiarum* nomine Belgas, ſub *Evenidis* nomine CALVINUM, ſub *Ladis* autem perſoną LUTHERUM, & denique ſub *Lotophagorum* nomine delineaſſe Lutheranos: cujus deliramenta EVERH. RUD. ROTHIUS in pec. Diſſ. & Cl. J. H. a SEELEN in Diſſ. de *Homero paſſionis Chriſti teſte apud Hugonem*, exploſerunt. Nec ſaniora ſunt, quæ GERH. CROESUS, Verbi divini in Belgio miniſter, in *Homero hebraizante* in ſcenam protulit, *Odyſſeam* ſcil. hiſtoriam Patriarcharum usque ad mortem Moſis, *Iliadem* vero exhibere reliquas res geſtas, in libro Joſuæ memoratas, usque ad expugnationem terræ Canaan. Eo usque nimia HOMERI æſtimatio viros iſtos abripuit! quæ tamen noſtra ætate multum refrixit; certe non opus eſt, ſiquis lectiones in HOMERUM inſtituat, ut auditorium exam-

 plietur,

plietur, quod an. 1565. fieri oportuit, cum CRUSIUS Tubingæ HOMERUM publice prælegeret. Cæterum HOMERI dictio simplex est & plana, proque illius ætatis ratione admodum nativa & gratiarum plena; ad Græcæ vero linguæ ætatem quasi virilem & provectiorem relata, ob epitheta sæpe longius petita, minutiarum descriptiones prolixissimas, comparationes non satis semper convenientes, repetitiones & tautologias fastidiosas, (h) magis puerilis. Scripta ejus, hodienum residua, sunt ejus *Ilias* & *Odyssea*, quarum γνησιότητα nemo negat; cum contra de *Batrachomyomachia* & *Hymnis* Grammatici certent, utrum HOMERUM habeant auctorem, nec ne? Plura de HOMERO ejusque scriptis dabunt FABRICIUS in *Biblioth. Græc.* Vol. I. L. II. c. 1. seq. LUDOLFUS KÜSTERUS in *Historia Critica Homeri*, SANDERUS in *Collectaneis de Homeri vita & scriptis*, RICCIUS in *Dissertationibus Homericis*, JOH. BOHEMUS in Orat. de *Homero*, J. R. WESTENIUS in Diss. de *fatis scriptorum Homeri per omnia secula*, aliique; conf. & RECHENBERGII Diss. de *Homeri Theologia*, J. G. DIETERICI Diss. de *Homeri Philosophia*, G. STOLLII Diss. *an Homerus fuerit Philosophus Moralis?* STRUNZII Diss. de *Homero Jureconsultorum oraculo*, & REIMMANNI *Ilias post Homerum.*

§. X.

HOMERO subiiciendus est HESIODUS; quem tamen iam veterum nonnulli HOMERO, si non antiquio-

(h) De quibus exstant peculiares Dissertationes I. H. SCHULZII & G. W. OEDERI.

tiquiorem, saltem coævum fecerunt: siquidem VARRO & EUSTATHIUS aliquot versus antiquos adducunt, e quibus liquere possit, HOMERUM & HESIODUM certasse de Poëseos palma, quam HESIODUS reportaverit. Plurimis tamen HESIODUS integro seculo inferior videtur, ut vel ex dictionis discrimine apparet, quæ cum in HESIODO multo limatior sit & floridior, Græcæ linguæ ætatem adultiorem prodit. Scripta reliquit HESIODUS: Ἔργα καὶ ἡμέρας, a nonnullis pro uno libro habita, ab aliis in duos divisa; Θεογονίαν, quæ quasi quædam est *Deorum Genealogia;* & *Scutum Herculis*, quod tamen jam olim plurimi negarunt esse HESIODI. Plura de HESIODO dabit idem FABRICIUS l. c. Vol. I. L. II. c. 8. HESIODI ætatem sensim exceperunt illustres Græcorum legislatores, LYCURGUS, DRACO, ZALEUCUS &c. septem item Græciæ sic dicti *Sapientes;* hinc Poëtæ *Lyrici*, ANACREON, PINDARUS, ALCMAN, ALCÆUS &c. immo & Poëtriæ, ut SAPPHO; posthæc celebres illi Poëtæ *Tragici*, AESCHYLUS, SOPHOCLES & EURIPIDES, atque *Comicus* ARISTOPHANES; Philosophi quoque, PYTHAGORAS, SOCRATES, PLATO, ARISTOTELES &c. & Historici, HERODOTUS, THUCYDIDES, XENOPHON &c. de quibus singulis quo minus in specie agamus, obstat opusculi nostri brevitas: adeat, qui velit, laudati FABRICII *Bibliothecam Græcam.* Omnes illi Græcam linguam paulatim ad majorem florem evexerunt; donec tandem circa decem Rhetorum Atheniensium tempora, quorum præcipui fuerunt ISOCRATES ac DEMOSTHENES, virilem quasi perfectionem attigit, quamvis non admodum durabi-

lem: quia jam DEMETRIUS *Phalereus*, Rhetorum illorum ultimus, ſtylo molliori & teneriori uti cœpit. Poſt illa tempora inclaruit ſeptem Poëtarum *Pleias*, ut vulgo dicitur, Ptolemæi Philadelphi, Aegypti regis, deliciæ, quorum celebriores fuerunt THEOCRITUS, ARATUS, LYCOPHRON & NICANDER.

§. XI.

Ad maturam vero ætatem quaſi provecta lingua Græca, ſimul quoque majores nacta eſt vires, hoc eſt, paulatim longius, etiam per exteras regiones, ſeſe propagavit, non ſine ſummi Numinis providentia: ſiquidem non procul aberat tempus illud, quo Evangelii lux ſalutaris iſtius linguæ beneficio etiam gentibus exoritura erat. Quam longe lateque per omnes orbis terrarum partes lingua Græca ſeſe tum temporis diffuderit, videre eſt apud BREREWODUM in *Scrutinio linguarum* c. 1. unde CICERO in *Orat.* pro Archia, *Græca lingua*, inquit, *in omnibus fere gentibus*, *Latina vero finibus ſuis exiguis ſane continetur.* Primum linguæ Græcæ tantopere propagandæ medium fuit plurimarum coloniarum Græcarum in alias terras deductio, ut Dorum & Jonum in Aſiam, Aeolum in inferiorem Italiæ partem, *Græciæ magnæ* exinde nomen adeptam, &c. Sunt, qui indidem cauſam derivant, cur apud Danielem c. 3. *technica* Muſices vocabula occurrant, *κιθάρα*, *σαμβύκη*, *ψαλτήριον* & *συμφωνία*: in ipſam ſcil. Babyloniam, ubi Daniel vixit, quandam Græcorum coloniam eſſe deductam; cum contra alii rectius ejus rei cauſam quærant in Græcorum celebritate ex arte Muſica, qua reges Babyloniæ moti, Muſicos Græcos in aulam ſuam receperint; vel ſaltem inſtrumenta Muſica

ſica in Babylonia in conſuetudinem veniſſe, a Græcis inventa Græcisque nominibus inſignita. Secundum dilatationis Græciſmi medium fuit extenſio dominii Græcorum ſive monarchiæ Græcæ ſub Alexandro M. ejusque ſucceſſoribus, quando plurimæ gentes, a Græcis ſubjugatæ, ſenſim quoque linguæ dominatorum locum dederunt quod & ipſis Judæis, Syriæ regibus ſubjectis, accidit. Tertium medium fuit translatio V. T. in linguam Græcam, juſſu Ptolemæi Philadelphi, Aegypti regis, ut vulgo fertur, per LXX viros Judæos facta, quo facto lingua Græca etiam per Aegyptum increbuit. Quartum erat cultura artium ac ſcientiarum, quæ apud Græcos eximie florentes, aliis gentibus ad addiſcendam linguam Græcam fuere incitamento. Et tandem 5) florentisſimæ Græciæ ſcholæ ac Academiæ non parum linguæ ſæpius dictæ propagationem promoverunt: quarum celebratisſima fuit Athenienſis, ubi Dialectus Attica, omnium elegantisſima, vigebat. Dici non poteſt, quantus juvenum ſtudioſorum, maxime Romanorum, tanquam ad *mercaturam bonarum artium, communemque hominum ſcholam*, ut CICERONI ac DIODORO *Siculo* vocatur, continuo factus ſit confluxus: (i) unde & quævis ſchola *Athenæum* appellari meruit. Ibidem in exterorum gratiam Accentus Græci inventi tantur; quod tamen alii Alexandriæ factum eſſe credunt. Habuit & inſula Rhodus præclaram quandam ſcholam, ubi CICERO aliquamdiu ſtudiis vacavit; ut & Alexandria Aegypti, ubi Medicinæ ſtudium

(i) Conf. G. N. KRIEGKII Diſſ. de *peregrinationibus Romanorum Academicis.*

ſtudium maxime floruit. Eadem hæc ſchola Alexandrina eximios in uſum eccleſiæ viros aliquando nutrivit, CLEMENTEM *Alexandrinum*, ORIGENEM, ATHANASIUM, GREGORIUM *Nazianzenum*, CYRILLUM *Alexandrinum* &c. Neque etiam prætermittenda eſt ſchola Tarſenſis, diſcipulo nobilitata Apoſtolo Paulo, antequam ille Hieroſolymis ad pedes Gamalielis Theologiæ ſtudio ſeſe dederet.

§. XII.

Hactenus linguæ Græcæ florem & quaſi virilem ætatem conſideravimus; jam ſubjungenda venit ætas ejus paulatim ſeneſcens, quæ jam ſecundò a Chriſto nato ſeculo obrepere occœpit. Neque tamen omnino tum temporis defuerunt, veterum ſcriptorum elegantiam ac puritatem imitati: ut ſeculo ſecundo, DIO, cognomine CHRYSOSTOMUS, FLAVIUS ARRIANUS &c. ſeculo tertio, DIONYSIUS LONGINUS, uterque PHILOSTRATUS, PORPHYRIUS, HESYCHIUS &c. ſeculo quarto, BASILIUS M. GREGORIUS *Nazianzenus*, IOHANNES CHRYSOSTOMUS; ſeculo quinto THEODORETUS, PÆANIUS aliique. Cum ſeculo autem ſexto & ſequentibus linguæ Græcæ corruptio magis invaluit, ob continuas Gothorum & dehinc Saracenorum Bulgarorumque in Græciam irruptiones; donec tandem Conſtantinopoli, primaria linguae Graecae ſede, ſeculo decimo quinto a Turcis expugnata, lingua Graeca ad incitas plane redigeretur, tot vocibus peregrinis ex Arabica, Turcica, Sclavonica, Hungarica, Latina aliisque linguis mixta atque corrupta, ut in novam quaſi linguam degeneraret, *Barbaro-Græcam* vulgo dictam, de qua pluri-

pluribus, ubi ad Graecae linguae Dialectos perventum fuerit; conf. interim de ista linguae Graecae corruptione BREREWODUS loco supra citato c. 2. DU FRESNE in Praefat. ad *Glossarium mediæ & infimæ Græcitatis* &c. In occidente hucdum lingua Graeca non plane fuerat ignota, maxime ex quo Imperatores Romani sedem suam Roma Byzantium transferebant: unde hodienum Epistolae & Edicta quædam illorum Imperatorum, Græce ad occidentales exarata, supersunt. Circa medium autem ævum lingua Græca in occidente plane in desuetudinem & oblivionem venit, usque adeo, ut ne legi, multo minus intelligi posset. Certe ACCURSIUS, celebris seculi decimi tertii Jurisconsultus, quoties in Græcos versiculos, *Institutionibus Juris Justinianeis* interspersos, incideret, dixisse fertur: *Græca sunt, non leguntur*. Græce & Hebraice scire, fere hæreticum tunc erat. Ignorantia linguarum sacrarum seculo decimo quarto & quinto tanta fuit, ut, referente CONR. HERESBACHIO, teste aurito, in Orat. supra cit. monachus quidam, pro concione verba faciens, auditores monuerit, sibi a lingua, recens jam inventa Græcaque appellata, sedulo caverent: esse enim istam omnium hæresium matrem; librum quoque illum, Græca lingua consignatum, qui *Novi Testamenti* nomine veniat, plenum esse rubetis atque viperis; aliam insuper oriri linguam, *Hebræam* vocatam, hanc qui discerent, Judæos effici. Plures ejusmodi historiolas legas in ZWINGERI Orat. de *barbarie superiorum seculorum ex linguæ Græcæ ignorantia*, in CHR. BECMANNI Orat. de *barbarie & superstitione superiorum temporum*, in J. C. DIE-

TERI-

TERICI *Græcia exulante* ſive Orat. de *infelicitate ſeculi ſuperioris in Græcarum litterarum ignoratione* &c.

§. XIII.

Supereſt, ut, qua ratione Græcæ linguæ cognitio in terris occidentalibus reſtaurata ſit & quaſi e mortuis reſuſcitata, indicemus: cujus rei initium in Italia factum. Proverbio vulgo dici ſolet: *Unius corruptio alterius eſt generatio.* Conſtantinopoli enim & Græcia a Turcis occupata, Muſæ Græcæ in alias commigrabant regiones, primo quidem in Italiam, dehinc in Galliam & Germaniam. Primus, qui Græcam linguam Italiæ intulit ibique vulgavit, EMMANUEL CHRYSOLORAS fuit, Nobilis Conſtantinopolitanus, a Græcorum Imperatore, Johanne Palæologo, exeunte ſeculo decimo quarto, adeoque paulo ante Conſtantinopoleos expugnationem, in terras occidentales eo fine ablegatus, ut principum Europæorum opem adverſus Turcas imploraret. Nihil vero proficiens, in Italia remanſit, Venetiisque, Florentiæ, Romæ & Ticini Græcas litteras publice docuit. CHRYSOLORAM illum plures alii ſubſecuti ſunt Græci: ut BESSARION, Archiepiſcopus Nicenus, qui religionem pontificiam amplexus, ideoque ad dignitatem Cardinalitiam evectus, parum abſuit, quin an. 1471. Pontifex eccleſiæ Romanæ crearetur; GEORGIUS *Trapezuntius*, Romæ linguam Græcam profeſſus, poſthæc Nicolao V. ab epiſtolis, THEODORUS GAZA, Theſſalonicenſis, qui eandem Romæ & Ferrariæ docuit, interque alia Grammaticam Græcam ſcripſit; JOHANNES LASCARIS, ex familia oriundus imperatoria, a Laurentio, Principe Medicæo, rece-

receptus, posteaque in Græciam ablegatus ad omnis generis codices Græcos & Orientales Mscr. conquirendos, qui adhuc in bibliotheca Florentina asservantur; JOHANNES ARGYROPYLUS, Constantinopolitanus, qui primum Græcæ linguæ Professor Florentiæ constitutus, ob pestem dehinc Romam concessit, ibique aliquot libros Aristotelis Latine vertit & Græcis litteris alios instituit; DEMETRIUS CHALCONDYLAS, qui similiter Florentiæ docuit, ab ANGELO POLITIANO autem invide habitus, Mediolanum commigravit; EMMANUEL MOSCHOPULUS, similis exul Græcus, aliique: de quibus pluribus conf. CHR. ROSA in Discursu de *Turcismi fuga & Græcæ linguæ apud Christianos incremento*, PETR. LAMBECIUS in Comment. de *Biblioth. Vindobon.* Addit. II. p. 274. seq. HUMPHREDUS HODY in Tract. de *Græcis illustribus, linguæ Græcæ litterarumque humaniorum instauratoribus*, a SAM. JEBBIO an. 1643. Londini edito, Ven. C. F. BOERNER in duabus Dissertationibus de *altera migratione litterarum Græcarum e Græcia in Italiam* sive de *exulibus Græciæ, litterarum in Italia instauratoribus*, quæ utraque postea auctior sub integri Tractatus forma prodiit, MORHOFIUS in *Polyhist.* T. I. Lib. IV. c. 6. §. 4. SAM. BATTIERIUS in Orat. de *litterarum Græc. post inductam plurium seculorum barbariem in occidentalibus Europæ partibus interitu, & quomodo tandem illæ insigniter refloruerint*, (k) DENZERUS in Diss. de *Græcia litterata in occidentis translata terras*, in doctiss. BIDERMANNI *Selectis Scholasticis* Vol. I. Fasc. I. p.

(k) Exstat illa in *Museo Helvetico* P. XIV.

1. p. 97. feq. &c. In Gallia linguam Græcam primus inftauravit GREGORIUS TIPHERNAS, CHRYSOLORÆ difcipulus, ex Italia Lutetiam delatus, linguæque illius Profeffor ibi conftitutus, ejusque fucceffor GEORGIUS HERMONYMUS, Spartanus. Exeunte feculo decimo quinto idem per Germaniam præftiterunt RUDOLPHUS AGRICOLA, Frifo, THEODORI GAZÆ difcipulus, & JOHANNES REUCHLINUS, qui litteras Græcas Bafileæ, in Italia & Gallia a viris in Græcia natis didicerat, tantumque in iis profecerat, ut cum fupradictus JOHANNES ARGYROPYLUS Romæ Thucycidem explicantem eum audiret, admirabundus exclamaret: *Græcia noftro exilio transvolavit Alpes.* Docuit REUCHLINUS deinde linguam Græcam Ingolftadii & Tubingæ, inque tironum gratiam Grammaticam Græcam fub titulo Μικροπαιδείας edidit, conf. J. C. DIETERICI *Reftauratio Græcarum litterarum per Germaniam aufpiciis Joh. Reuchlini.* Nec minus ERASMUS *Roterodamus* de reftauranda lingua Græca, cujus notitiam ex GEORGII HERMONYMI inftitutione Parifiis haufcrat, bene meruit. Ejus ætate duplex illa Græcæ linguæ exorta eft pronunciatio, quæ hodienum paffim obtinet, ut Sect. feq. pluribus tradetur. Ex illo tempore poftque ecclefiæ Reformationem lingua hæc tantopere per Germaniam refloruit, ut in addifcenda illa mutuo quafi certaretur. Longum foret, omnes viros ex litteratura Græca celebres recenfere. Teftantur id tot Latine verforum notisque illuftratorum auctorum Græcorum editiones, tot Græca poëmata, a Germanis compofita,(l) totque a Germanis in lucem editæ

(l) De quibus legendus LIZELIUS in *Hiftoria Poëtarum Græcorum Germanorum.*

editæ Grammaticæ, Lexica, aliaque linguæ Græcæ ſubſidia, conf. CRUSII *Germano-Græcia*, SCHURZFLEISCHII Diſſ. de *meritis Germanorum in litteras Græcas*, (m) J. C. DIETERICI *Propagatio Græcarum litterarum & Poëſeos per Germaniam, a Cruſio, Neandro & Rhodomanno inſtituta*, J. G. DIEZII Orat. de *Germania Romano-Attica*, in *Miſcellan. Lipſienſ.* T. X. &c. Ipſi etiam viri principes fœminæque illuſtres Græca diſcere non erubuerunt: qua de re pluribus GOEZIUS in *Principe Græce docto*. Interea, dum Græcæ litteræ in occidente reſtauratæ ſunt atque excultæ, eædem, ut & omnes aliæ artes ac ſcientiæ, in Græcia adeo obſoluere, ut pauci jam Græci nati veterem linguam Græcam calleant. Mentionem alicubi iniicit POSSELIUS litterarum Græci cuiusdam, ad doctum Germanum datarum, quibus ille queritur, ſe Athenas profectum, Muſas in Helicone & Pieria quæſiiſſe, ſed fruſtra; cum veræ Athenæ & Helicon iam potius in Germania reperiantur. Faxit Deus, ut felicitate illa quam diutiſſime fruamur, neque cauſa nobis ſit, de Græcarum litterarum contemtu, noſtra ætate per Germaniam paſſim gliſcente, querendi! cuius cauſas disquirunt Ven. LAUR. REINHARDUS in *Hiſtor. ling. Græc.* c. 8. L. C. VALKENAER in Orat. de *cauſis neglectæ litterarum Græc. culturæ*, J. J. BREITINGER & ANT. BIRRIUS in ſimilibus Orationibus, *Muſeo Helvetico* P. III. & V. inſertis; conf. & MATTH. DRESSERI Orat. de *cauſis, quæ cladem Græcæ linguæ afferunt*. Plura de *fatis linguæ Græcæ* dabunt, qui linguæ Græcæ hiſtoriam tradiderunt, WILH. BURTONUS, L. J. ELINGIUS, JOH. PALMROOT & laudatus

(m) Cujus continuationem promiſit Cl. I. H. a SEELEN in Præfat. ad BURTONI *Λείψανα Linguæ Perſ.*

LAUR. REINHARDUS; RHODOMANNUS item in Orat. de *fatis linguæ Græcæ*, SAM. RODIGAST de iisdem, J. C. DIETERICUS in Diss. de *Mutationibus linguæ Græcæ*, J. M. LANGIUS in Meletemate præfixo ipsius *Philologiæ Barbaro-Græcæ*, aliique. Pleniorem tamen historiam Græcorum litterariam FALSTERUS in *Cogitationibus variis Philolog.* p. 82. adhuc desiderari notat: quem defectum haud ita pridem supplere cœpit Celeb. C. FR. MUNTHE, Græcæ linguæ apud Hafnienses Professor, in nova sua *Historia Græcæ linguæ*, cuius particula prima, sub forma Disputationis publicæ proposita, prodiit Hafniæ an. 1748.

CAPUT IV.

DE SUBSIDIIS LINGUÆ GRÆCÆ.

§. XIV.

Denique *Subsidia* quoque, ad addiscendam linguam Græcam & ad intelligenda scripta Græca necessaria, paucis indicanda sunt, eaque pro diversitate scriptorum illorum & ipsa diversa. Sunt enim scripta illa vel *sacra* vel *profana:* sacra autem vel *magis talia*, ut codex N. T. Græcus; vel *minus talia*, ut libri Apocryphi V. T. & Versio LXX Interpretum, scripta item patrum ecclesiæ Theologica similisque argumenti sacri: quo etiam referenda Poëmata, quibus res sacræ decantantur, ut NONNI *Paraphrasis in Johannem*, APOLLINARIS *Metaphrasis Psalmorum*, PISIDÆ *Hexaëmeron*, aliorumque Poëtarum Christiano-

ſtianorum, ab A. C. ESCHENBACHIO in Diſſ. de *Poëtis Chriſtianis ſacris Græcis & Latinis*, a J. G. NEUMANNO in Diſſ. de *Metaphraſtis*, *qui N. T. Græco carmine expreſſerunt*, & a J. A. FABRICIO recenſita in *Biblioth. Græc.* Vol. VII. L. V. c. 16. Scripta Græca *profana* innumera ſunt; commode tamen ad duo genera referuntur. Sunt enim vel *Proſaica* vel *Poëtica*. Illa vel *Hiſtorica*, ut HERODOTI, XENOPHONTIS, ARRIANI, HERODIANI aliorumque ſcripta, a GERH. JOH. VOSSIO in Tract. de *Hiſtoricis Græcis* pluribus enarrata: quo etiam pertinent ſcripta Hiſtoriæ eccleſiaſticæ; vel *Philoſophica*, ut PLATONIS, ARISTOTELIS &c. vel *Mathematica*, ut EUCLIDIS, ARCHIMEDIS &c. vel *Medica*, ut HIPPOCRATIS, GALENI &c. vel *Juridica*, ut HARMENOPULI &c. vel *Oratoria*, ut ISOCRATIS, DEMOSTHENIS, LYSIÆ &c. vel *Epiſtolica*, ut LIBANII, THEMISTOCLIS &c.

§. XV.

Subſidia itaque, Græca tractantibus maxime neceſſaria, ſunt 1) Auctores *Grammatici*, iique tam veteriores quam recentiores, qui vel univerſam Grammaticam Græcam, vel unam atque alteram eius partem pertractarunt. Veteriorum Grammaticorum collectionem ſatis amplam, tribus quippe voluminibus in forma maxima comprehenſam, edidit ALDUS MANUTIUS; conferri quoque de iisdem poteſt J. A. FABRICIUS l. c. Vol. VII. ab initio & ſeq. Recentiorum tanta eſt farrago, numerari ut vix queant: plurimos in medium produxerunt idem FABRICIUS l. c. p. 73. ſeq. & MORHOFIUS in *Polyhiſt.* T. I. Lib. IV. c. 6. ex quibus præ cæteris commendamus ANGELI CANINII *Helle-*

nismum; NIC. CLENARDI *Institutiones* cum notis ANTESIGNANI, J. GRETSERI *Institutiones*, J. F. KOERBERI *Grammaticam Golio-Wellerianam*, HENR. OPITII *Græcismum restitutum*, A. BISCHOFFII *Cadmum*, JOH. VERWEY *Novam viam docendi Græca*, URBANI BELLUNENSIS, JOH. RHENII, G. H. URSINI & WELLERI *Grammaticas Græcas*, GUMPRECHTI *Florilegium Grammat. Græc. Grammaticam Græcam* Marchicam Majorem; *La Nouvelle Methode pour apprendre facilement la langue Grecque*; *Grammaticam Græcam* in usum Orphanotrophei Halensis editam, &c.

§. XVI.

Grammaticis 2) subiungenda sunt *Lexica, Onomastica, Glossaria, Etymologica* & id genus scripta. Sunt autem *Onomastica*, quibus sola Nomina explicantur; *Glossaria*, quibus vocabula quæcunque quam brevissime exponuntur; *Etymologica*, quæ circa vocum, maxime primitivarum, originem & etyma versantur. Singula illa vel *veteriora* sunt vel *recentiora*. Inter veteriora memoratu digniora sunt JULII POLLUCIS *Onomasticon*, HESYCHII & EROTIANI *Glossaria*, HARPOCRATIONIS *Lexicon X Oratorum*, SUIDÆ *Lexicon*; *Etymologicum, Magnum* vulgo dictum, cuius auctor latet, PHRYNICHI *Ecloge Verborum & Nominum Atticorum* &c. Inter recentiora Lexica, quorum ingens numerus exstat, notari præ cæteris merentur VARINI PHAVORINI *Lexicon*, BUDÆI *Commentarii Græcæ linguæ*, H. STEPHANI *Thesaurus Græc. ling.* omnium Lexicorum locupletissimum, HADR. JUNII, CONR. GESNERI, JAC. TUSSANI, JOH. SCAPULÆ, ROB. CONSTANTINI, J. CRISPINI & J. C. SUICERI *Lexica Græco-Latina*, WILH. ROBERTSONI *Thesaurus*

ſaurus ling. Græcæ; Lexicon Græco-Latinum, ex compluribus aliis compilatum & aliquoties Baſileæ editum, SCHREVELII *Lexicon Analyticum*, HEDERICI *Lexicon Manuale Græcum* &c. Dantur & Lexica ſpecialis cuiusdam argumenti: ut MART. RULANDI *Synonymia Latino-Græca*, Synonyma Græca exhibens; CONR. DINNERI *Farrago Epithetorum Græcorum*, Epitheta Poëtica recenſens; POSSELII *Calligraphia*, JOH. BENZII *Theſaurus elocutionis* &c. quibus copia phraſium proſaicarum ſuppeditatur; ut contra DAV. PAREI *Mellificium Atticum*, NIC. CAUSSINI *Theſaurus Græcæ Poëſeos*, JOH. VOLLANDI de *re Poëtica Græcorum* Libri IV. &c. phraſium Poëticarum. Habemus quoque Lexica Dialectorum, ſuo loco adducenda; nec non in hos vel illos auctores ſpecialia: ut in HIPPOCRATEM, ANUTII FOESII & JOH. CONR. DIETERICI *Lexica*; in HOMERUM, LUD. COULONII *Lexicon*; in PINDARUM, AEMILII PORTI; in THEOCRITUM, MOSCHUM, BIONEM & SIMMIAM, eiusdem PORTI *Lexicon Doricum*; in LXX Interpretum Verſionem & Libros Apocryphos V. T. ZACH. ROSENBACHII, MICH. CRELLII & CHR. SCHOTANI; in N. T. Græcum, G. PASORIS, EDUARDI LEIGH, CHR. STOCKII, P. MINTERTI, J. C. SCHWARZII, CRAUSERI, PETRI SIGISM. PAPEN, SCHOETGENII &c. Huc quoque *Indices* & ſic dictæ *Concordantiæ* pertinent: quales in HOMERUM, ut & in THEOGNIDEM, PHOCYLIDEM & PYTHAGORÆ *Carmina aurea* WOLFG. SEBERUS; in HESIODUM, G. PASOR; in LUCIANUM, REISKIUS, &c. in LXX. Interpretes CONR. KIRCHERUS & AD. TROMMIUS; in N. T. HENR. STEPHANUS & ERASMUS SCHMIDIUS

 con-

confecerunt. Plura de *Lexicis* & *Glossariis* Græcis habent J. H. BOECLERUS in Append. ad *Dissertationes Academ.* P. J. MAUSSACUS in *Dissert. Critica*, editioni HARPOCRATIONIS præmissa, J. A. FABRICIUS in Append. ad *Centuriam Plagiariorum & Pseudonymorum*, & in *Biblioth. Gr.* passim: ut Vol. IV. p. 489. Vol. IX. p. 620. seq. Vol. X. p. 17. seq. OLAUS BORRICHIUS in Tract. de *Lexicis Græcis & Latinis*, eius *Analectis ad Cogitationes de LL.* subiecto, MORHOFIUS in *Polyh.* T. I. L. IV. c. 7. & 8. Celeb. RECKENBERGER in *Principiis ling. Gr.* §. 24. De *Glossariorum* vero Græc. *indole & usu* agit Celeb. J. A. ERNESTI in pec. Differ..

§. XVII.

Inter *Subsidia* linguæ Græcæ porro referendi sunt *Commentarii*, *Interpretes*, *Scholiastæ*, variorumque Exercitationes & Observationes in auctores Græcos. *Scholia* sunt breves explicationes, vocibus hinc inde subiectæ; *Scholiastæ* autem dicuntur eiusmodi *Scholiorum* auctores. In plerosque Poëtas Græcos antiquiores *Scholia* exstant, a veteribus Grammaticis elaborata. Cum vero omnia illa *Scholia* Græce scripta sint, hinc Græcæ linguæ tironum usibus parum inserviunt. Certum tamen est, multum in iis latere eruditionis Græcæ, insignemque usum eadem præstare universæ litteraturæ Græcæ: qua de re gemina exstat MART. CHLADENII Dissertatio de *præstantia & usu Scholiorum Græcorum*; de Scholiaste vero ARISTOPHANIS in specie duabus Dissertationibus agit G. SIG. GREENIUS. In auctores prosaicos pauci dantur Scholiastæ. Ceterum *Scholiastarum Bibliothecam Universalem* promisit G. FR. THRYLLITIUS, vid. *Miscellan.*

Miscellan. Lipsiens. T. II. p. 550. seq. quæ tamen in lucem non prodiit. Observationes & Exercitationes in auctores Græcos complures, easque vel separatim editas, vel ipsis auctoribus editis subiectas, in N. T. Græcum vero omnium copiosissimas habemus. Multum quoque auctoribus Græcis rite intelligendis 4) inservit *Antiquitatum* Græcarum notitia: scripta huc facientia adducta videas apud J. A. FABRICIUM in *Bibliographia Antiquaria* c. 2. §. 5. seq. quibus tamen multo plura addi possunt. Neque denique 5) prætermittenda sunt scripta, circa exteriora linguæ Græcæ magis versantia: ut FABRICII *Bibliotheca Græca*; scripta item de lingua Græca *historica*, supra §. 13. nominata, & quod ad N. T. Græcum in specie, LEUSDENI *Philologus Hebræo-Græcus*, RICH. SIMONIS *Critica N. T.* PRITII, JOH. REINHARDI RUS, Celeb. J. D. MICHAELIS aliorumque *Introductiones in N. T.* RUMPÆI *Commentatio Critica in N. T.* &c.

§. XVIII.

Quo vero *Subsidia* illa, hactenus recensita, rite adhibeantur suumque in addiscendis litteris Græcis usum habeant, ex parte discentium opus est discendi cupido & assiduitas, ex parte autem docentium commoda quædam methodus. De *methodo* tradendi linguam Græcam multorum passim leguntur consilia; de quibus tamen valet tritum illud: *quot capita, tot sententiæ;* confer e. g. SCHORUM de *ratione discendæ linguæ Græcæ ac Latinæ*, HAVEMANNUM de *Methodo* p. 291. seq. H. STEPHANUM in Dialogo de *bene instituendis linguæ Gr. studiis*, HERM. HARDTIUM in *Studioso Græco* p. 133. seq. ubi etiam *Introductio* in lectionem vete-

rum ſcriptorum Græcorum ſubiicitur, JOH. POSSELIUM in Orat. de *ratione docendæ ac diſcendæ linguæ Lat. & Græc.* SUEVEZELIUM in Epiſt. de *recte inſtituendo Græcæ linguæ ſtudio*, CHR. CELLARIUM in Diſſ. de *ſcriptoribus ſolutæ orationis ſcholarum uſui commendandis* §. 17. ſeq. CHR. GRÜNEBERGIUM in Præfat. ad *Gramm. Græc.* TOB. SEIFARTUM in Orat. de *lingua Græca dextre docenda & diſcenda*, Ven. LAUR. REINHARDUM in *Hiſtoria ling. Gr.* c. 4. & 5. JOH. ALEX. DOEDERLINUM in pec. Program. quod in *Actis Scholaſticis* Vol. V. Part. III. legitur, ROLLINUM *de la maniére d' enſeigner & d' étudier les belles lettres* L. III. c. 2. ſect. 2. SAM. BATTIERIUM in Orat. de *Ling. Gr. utilitate atque commodis, deque aptiſſimo modo & ratione facillima ſtudium illud incipiendi*, in *Muſeo Helvet.* P. XII. BOHUSLAUM ALOYSIUM BALBINUM in *Veriſimilibus humaniorum diſciplinarum* c. 12. Huc etiam pertinet G. PHIL. CATTIERI *Gazophylacium Græcorum*, h. e. *Methodus*, ſecundum quam intra horæ ſpatium poſſit quis addiſcere innumera vocabula Græca, & Cl. F. G. FISCHERI utiliſſimus libellus: der geſchwinde Grieche, quo oſtenditur, qua ratione ac methodo univerſa vocum Græcarum farrago annuo ſpatio capi queat. Promiſerunt quoque ROB. CONSTANTINUS *Compendioſam methodum ſtudii linguæ Græc.* & H. C. UHNIUS *Syntagma Variarum Obſervationum*, quarum ſecunda methodum Græcam linguam addiſcendi monſtratura erat; ſed illa lucem non viderunt.

SECTIO

SECTIO II.

DE
ORTHOGRAPHIA GRÆCORUM
SIVE DE
LITTERIS ET SYLLABIS HARUM-QUE ACCIDENTIBUS.

SECTIO II.

DE ORTHOGRAPHIA GRÆCORUM SIVE DE LITTERIS ET SYLLABIS HARUMQUE ACCIDENTIBUS.

CAPUT I.

DE LITTERIS.

§. I.

Cum ad accuratam linguarum cognitionem imprimis requiratur rerum Grammaticarum notitia, iam aliquot Sectionibus de præcipuis Grammatices Græcæ momentis differemus: ubi omnium primo *Elementa* linguæ Græcæ, *Litteræ* scil. & *Syllabæ* harumque *Accidentia* nobis sese offerunt. Circa *Litteras* consideramus 1) earum *originem*, 2) *numerum*, 3) *figuram*, 4) *valorem* & 5) *divisionem*. *Originem* litterarum Græcarum quod concernit, sententias plane hic diversas offendimus. Quod si de veritate asserti P. ERICI & HERM. HARDTII, linguam Græcam omnium esse antiquissimam, cuius supra Sect. I. §. 2. mentionem fecimus, constaret, superfluum omnino foret, de litterarum Græcarum disceptare origine. ELINGIUS in *Histor. ling. Græc.* §. 15. & 16. & OLAUS RUDBECKIUS in *Atlantica* c. 38. ortum earum deducunt

ducunt a ſic dictis *Runis* ſive litteris Gothorum; quam vero ſententiam recte confutatam dedit Celeb. J. C. KLEMMIUS in Diſſ. de *Geneſi litterarum Græcarum e Phœnice* p. 15. ſeq. MARSHAMUS in *Canone Chronico* p. 121. ſeq. poſt ATH. KIRCHERUM in *Oedipo Ægyptiaco*, litterarum Græcarum natales ex Ægypto arceſſit: eo quod plurimi veterum Cadmum & Cecropem, qui primi litteras in Græciam intuliſſe feruntur, ex Ægypto in Græciam adveniſſe perhibeant; quod STEPH. MORINUS de *Ling. prim.* P. II. c. 4. & Anonymus quidam in Diſſ. de *priſcis Græcorum & Latinorum litteris*, (BERNARDI MONTFAUCON *Palæographiæ* ſubiecta) §. 3. refellunt, conf. & LOESCHERI *Jon* p. 31. ſeq. SUIDAS in *Lex.* ſub voce Ἀβραὰμ Græcos litteras ab Hebræis accepiſſe refert: quam ſententiam etiam BECMANNUS in *Manuduct. ad ling. Lat.* p. 2. ſeq. PFEIFFERUS in *Introduct. in Orient.* Diſſ. III. Quæſt. 16. J. C. ALBRECHT in Diſſ. de *Græcæ linguæ conſtitutione* §. 4. & 5. HERM. HARDTIUS in *Studioſo Græco* p. 141. ſeq. aliique probant. Vulgo tamen litteræ Græcæ ortæ creduntur ex litteris Phœniciis, a Cadmo e Phœnice in Græciam primum allatis: quocum nec ſententia proxime prædicta repugnat, ſi Phœnices ab Hebræis ſcripturam ſuam mutuo aſſumſiſſe ſupponuntur, quod EUPOLEMUS apud EUSEBIUM de *Præparat. Evangel.* L. IX. c. 4. teſtatur; vel ſi Cananæis & Hebræis una eademque fuit lingua, ut multi ſentiunt, coll. Jeſ. 19, 18. Certe LUCIANO ſermo *Hebræus* idem eſt cum *Phœnicio*, quippe qui in *Pſeudomanti* ſcribit: *Loquebatur verba quædam ignota, qualia ſunt* Hebræa *ſive* Phœnicia. Conf. pluri-

pluribus BOCHARTI *Canaan* Lib. II. c. 1. & VOSSII *Aristarchus* L. I. c. 9. TZETZES quidem passim in *Chiliad.* ELINGIVS l. c. §. 11. Auctor Dissertationis cit. de *priscis Græcorum & Latinorum litteris* §. 8. & J. B. BIANCONIUS de *antiquis litteris Hebræorum & Græcorum* p. 60. seq. ex DIODORO *Siculo* & EUSTATHIO contendunt, Græcis iamdudum ante Cadmum fuisse litteras, quamvis a sequioribus plane diversas: quod tamen refutant BOCHARTUS l. c. SCALIGER ad EUSEBII *Chronicon* p. 104. VOSSIUS l. c. c. 10. J. C. ARTOPOEUS in Diss. de *Litterarum Græc. origine*, & KLEMMIUS l. c. p. 10. seq.

§. II.

Cæterum *Cadmi*, Græcarum litterarum inventoris, nomen idem esse vulgo creditur cum קַדְמוֹנִי *orientalis:* quia ex *oriente* in Græciam advenit; vel quia fuit ex populis *Kadmonæis*, inter gentes Cananæas memoratis Gen. 15. *Kadmonæi* illi, montis Hermonis incolæ, alio nomine vocabantur *Chivvæi.* Inde BOCHARTUS l. c. c. 19. fabulam Poëtarum de Cadmo ejusque uxore *Harmonia*, quam ab *Hermone* nomen accepisse putat, in serpentes mutatis, derivat: quia ܚܘܝܐ Syris & חִוְיָא Chaldæis *serpentem* notet, quod cum Gentili חִוִּי, *Chivvæus*, plane conveniat. Adventus autem Cadmi in Græciam tempore Josuæ accidisse videtur, ubi multi Cananæi sive Phœnices, metu Israëlitarum, navibus avecti per mare mediterraneum, in Europam & Africam confugerunt: qua de re pluribus BOCHARTUS in *Canaan.* Cadmus igitur in Græciam appulsus, litteras ibi Phœni-

cias

cias introduxit: id quod confirmatur I) ex conſtanti veterum tam Græcorum quam Latinorum teſtimonio: ut HERODOTI, cui exinde vocantur γϱάμματα Φοινικήια & Καδμήια, PLUTARCHI item, DIODORI *Sic.* TACITI, CURTII, PLINII, PHILOSTRATI, CALLIMACHI, CLEMENTIS *Alexandrini*, ISIDORI, aliorumque apud BOCHARTUM l. c. L. I. c. 10. & KLEMMIUM l. c. p. 6. ſeq. II) Ex convenientia figuræ litterarum Phœniciarum & veterum Græcarum, prout hæ in antiquis monumentis hodienum viſuntur; quamvis in monſtranda utriusque ſcripturæ illius convenientia non conſentiant eruditi: cujus rei cauſa eſt partim eorum diſſenſus circa Alphabetum Phœnicium; partim ipſarum veterum litterarum Græcarum differentia: quippe quæ ſucceſſu temporis non parum mutatæ ſunt, ut oſtenderunt MONTFAUCON in *Palæographia Græca* & EDUARDUS BERNARDUS in Tabula quadam, an. 1689. ex Theatro Scheldoniano ſub tit. *Orbis eruditi litteratura*, in lucem emiſſa, & a SPANHEMIO operi ſuo de *præſtantia & uſu numiſmatum* inſerta, qua fere triginta veteris ſcripturæ Græcæ Alphabeta exhibentur. Quia tamen litteræ Samaritanorum ex litteris Phœnicum ortæ vel cum iis plane eædem fuiſſe vulgo creduntur, & quia præterea Samaritanorum litteræ pro antiquiſſimis & genuinis Hebræorum litteris a multis habentur, plurimi in monſtranda harmonia illa ad litteras Samaritanas confugiunt, ut BOCHARTUS l. c. c. 20. SCALIGER ad EUSEBII *Chronicon* p. 102. ſeq. VOSSIUS in *Ariſtarcho* L. I. c. 30. BERNARDUS & SPANHEMIUS l. c. HUETIUS in *Demonſtrat. Evangel.* Propoſit. IV. c. 13.

MONT-

MONTFAUCON in *Palæograph.* L. II. c. 1. seq. & Auctor Dissertationis de *priscis Græcorum & Latinorum litteris* (*Palæographiæ* illi subjectæ) §. 55. OPITIUS in *Græcismo restituto* p. 3. seq. AUG. BISCHOFFIUS in *Cadmo* §. 37. seq. GUMPRECHT in *Florilegio Grammat. Græc.* p. 19. seq. CHR. STOCKIUS in *Litteratore Græco* p. 2. Celeb. RECKENBERGER in *Principiis linguæ Gr.* §. 15. seq. aliique passim: ita tamen, ut plurimarum litterarum figura inversa appareat; quod nemini mirum videbitur, qui consideraverit, Phœnices & Samaritanos a dextra ad sinistram scripsisse, Græcos contra a sinistra ad dextram. Conf. quoque W. POSTELLUS in Comment. de *Phœnicum litteris* seu de *prisco Latinæ & Græcæ linguæ charactere*, & ER. VINDINGIUS de *Litterarum Græcarum origine.* Singularis sententia est BIANCONII l. c. p. 59. 60. qui Phœnicias Græcasque litteras plane easdem esse contendit.

§. III.

Equidem primitus litteras suas Græci exararunt βȣστροφηδὸν, i. e. *vertendo se more boum arantium*, a sinistra scil. dextram versus, & linea una absoluta, retrorsum a dextra ad sinistram. Hoc genere scripturæ olim leges Solonis exaratæ feruntur, conf. MEURSIUS in *Lectionibus Attic.* L. I. c. 22. & VOSSIUS in *Aristarcho* L. I. c. 34. Eadem ratione scripta superest inscriptio, dicta *Sigæa*, ab EDMUNDO CHISCHULL, Anglo, ex lapide ante templum quoddam Græcorum in Asia Minore, Sigæum montem inter & Scamandrum fluvium, adeoque in vicinia veteris Troiæ, delineata & an. 1722. una cum interpretatione edita, quæ etiam recusa exstat in Majore *Grammatica* Mar-

Marchica p. 145. seq. apud SAM. SCHUCKFORDIUM in *Harmonia sacr. & profan. script.* p. 174. & HENSELIUM in *Synopsi universæ Philologiæ* p. 91. Ex antiquissimo illo scripturæ Græcæ monumento, quod ipsum BERNARDUM MONTFAUCON latuit, quippe qui l. c. p. 118. dicit, nulla hujus generis scripturæ superesse vestigia, liquidissime patet, falli eos, qui veteres Græcos, βȣςϱοφηδὸν scribentes, a dextra ad sinistram, & hinc retrorsum a sinistra ad dextram perrexisse tradunt: ut adeo non videam, quomodo Celeb. CAR. GOTTL. HOFFMANNUS in Commentat. de *modulatione linguæ Græcæ* p. 24. ex ipsa hac inscriptione contrarium contra HENNINIUM in *Hellenismo* Ὀϱθωδῷ inferre voluerit; licet ipse HENNINIUS l. c. p. 37. in eo erret, quod litterarum pedes in lineis, a dextra ad sinistram ductis, sursum invertat. Superest quoque illius scribendi βȣςϱοφηδὸν generis monumentum in quadam veteris athletæ inscriptione apud BIMARDIUM in *Thesauro novo Inscriptionum*, Mediolani edito, & inde apud Doctiss. J. F. FISCHERUM in *Animadvers.* ad WELLERI *Grammaticam Græc.* p. 8. superest denique in compluribus nummis, de quibus vid. BIANCONIUS l. c. p. 52. Immo multo plura in Græcia hodienum superesse, refert FOURMONT in Descript. itineris sui in orientem, inserta *Historiæ Academiæ Inscriptionum & elegantiorum litterarum*, Versionis German. *Godschedianæ* T. IV. p. 431. 436. 441. 444. Eandem scribendi rationem etiam secuti sunt veteres Latini, indeque lineam dixerunt *versum* a *vertendo*, uti ISIDORUS L. VI. c. 14. & MARIUS VICTORINUS *Art. Grammat.* L. I. testantur; ut & Hetrusci,

ceu

ceu ex Tabula ſic dicta *Eugubina*, a BERNARDINO BALDO edita notisque illuſtrata, patet. Conf. SAM. PETITUS ad *leges Atticas* p. 104. Cum vero ſcribendi genus illud perquam incommodum eſſet, Græci poſteriores illud mutarunt, omnes lineas a ſiniſtra verſus dextram ducendo: quam ſcripturæ ſpeciem Pronapides primus introduxiſſe fertur. Unde factum, ut figura plurimarum litterarum Græcarum, ad Phœnicias ſive Samaritanas relata, inverſa appareat: prout ex collatione utriusque figuræ videre eſt; e. g. ex Samaritanorum 𐤁 ortum eſt Græcorum B, ex 𐤂 factum eſt Γ, & ſic deinceps, conf. BOCHARTUS in *Canaan* L. I. c. 10. ELINGIUS in *Hiſtoria linguæ Græcæ* §. 14. HERM. HUGO de *prima ſcribendi origine* c. 8. DICKINSON in *Delphis phœniciſſantibus* c. 10. &c.

§. IV.

Probatur inſuper III) litterarum Græcarum origo a litteris Phœnicum vel Samaritanorum, ex illarum nominibus: e. g. *Alpha* deflexum eſt ex *Aleph*, cum terminatione Samaritanorum *Emphatica*, ex *Beth* deſcendit *Beta*, ex *Gimel*, vel, ut Samaritani efferunt, *Gamel*, *Gamla*, & extrito *l*, *Gamma* &c. Quod ipſum & cauſæ eſt, cur nomina litterarum apud Græcos ſint indeclinabilia, conf. VARRO de *lingua Latina* L. VII. c. 36. & SUIDAS in *Lexico* ſub voc. Ἀβρααμ. IV) idem confirmatur ex harmonia ordinis utriusque gentis litterarum valorisque illarum in numeris: qua de re infra pluribus.

§. V.

Sequitur iam, ut de litterarum Græcarum *numero* agamus. Conſtans eſt veterum traditio, Græcis ab initio ſedecim tantum fuiſſe litteras, quibus

 octo

octo reliquæ deinde accesserint. Quænam vero sedecim illæ litteræ fuerint, non una est doctorum sententia. SCALIGER in *Animadvers.* ad EUSEBII *Chronicon* p. 112. 113. & WETSTENIUS pro *genuina ling. Gr. pronunciatione* Orat. Apologet. III. fuisse illas α, β, γ, δ, ε, η, ι, κ, λ, μ, ν, ο, π, ϱ, σ, τ, existimant. Contra BOCHARTUS pro η substituit ζ; alii demum, ut VOSSIUS l. c. c. 25. tam ζ quam η ex numero illarum exclusо, reponunt υ: eo quod Græci littera *u* vel *ü* commode carere non potuerint. Cum præterea ARISTOTELES, teste PLINIO *Histor. Natur.* L. VII. c. 57. initio octodecim fuisse litteras tradat, certum quid in re tam obscura definiri nequit. Vero tamen simillimum est, υ fuisse in numero sedecim illarum litterarum *Cadmearum;* contra vero ζ & η, utpote litteras magis compositas, illis posthæc fuisse superadditas: siquidem PLINIUS l. c. c. 56. diserte refert, Palamedem belli Troiani tempore invenisse primum quidem litteram duplicem ξ, ne opus esset scribere γσ, κσ, & χσ, deinde vero tres adspiratas θ, φ & χ, ne, ut antea, scribere necesse haberent TH, ΠΗ, ΚΗ; Simonidem insuper quatuor reliquas addidisse, η scil. pro gemino ε sive pro *e* longo, ω pro gemino *o micro* sive *o* longo, & utramque duplicem ζ & ψ: illam quidem pro δς, θς & τς, hanc vero loco βσ, πσ, φσ. Conf. Cl. FISCHERI *Animadvers.* ad WELLERI *Grammat.* p. 5. Quæ consonantium duplicium inventio scribendi quidem compendium quoddam, in Grammatica vero magnam confusionem & difficultatem induxit, maxime circa Declinationem III. & circa Temporum Verborum deductionem. Quod si enim e. g. in Nominativo, ut olim, scriberetur θώϱακς pro θώϱαξ, facili negotio

tio liqueret, Genitivum esse θώρακος; si scriberetur ἄρπαγς pro ἄρπαξ, nemo non exinde concluderet, Genitivum esse ἄρπαγος; si in Fut. 1. scriberetur λείβσω pro λείψω, statim patesceret, Tempus Præsens sive Thema esse λείβω &c. Primus vero omnes viginti quatuor litteras Græcorum in eum ordinem, quo hodie existunt, redegit CALLISTRATUS, Grammaticus Samius. Tempore Christi α fuisse litteram primam, ω vero extremam, videre est ex Apoc. 1, 8. notante id LEUSDENIO in *Philologo Hebræo-Græco* Diss. X. §. 8. Omnes illæ litteræ occurrunt Act. 15, 23. 24. & 1 Petr. 3, 19. 20. De *ordine* litterarum Græcarum legi merentur *Observationes Halens.* T. VI. n. 4. Jackson Chron. I 758 ff

§. VI.

Figura litterarum Græcarum vel *maiuscula* est, vulgo *Uncialis* & *Capitalis*, ut Α, Β, Γ, Δ &c. vel *minuscula* sive *ligata*, ut α, β, γ, δ &c. Illa est veterum Græcorum, hæc vero octavo vel nono post Christum natum seculo demum introducta, idque a monachis Ægyptiis; quemadmodum & monachi minusculas Latinorum litteras sive vulgo sic dictas *Longobardicas* invenerunt: quæ sententia est HENNINII in *Hellenismo* Ὀρθωδῷ §. 53. Aliter tamen sentit BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 100. qui CALLISTRATUM supra dictum litterarum Græc. *minuscularum* auctorem facit. Nostra ætate litteræ Græcæ *maiusculæ* tantum adhibentur 1) ab initio Nominum *Propriorum*, 2) in principio periodorum & versuum, exceptis tamen Odis *Pindaricis*, in quibus ab initio versuum litteræ *minusculæ* usurpantur; nisi simul sint initiales periodi alicuius vel Nominis *Proprii:* ut adeo in lingua

Græca figura litterarum *mdiuscula* longe rarior ſit, quam in Latina. Cæterum circa figuram quarundam litterarum *maiuscularum* non conuenit inter Grammaticos. Nam I) *Sigma* alii ſcribi volunt C, alii Σ. Si Tabulæ EDUARDI BERNARDI, ſupra § 2. memoratæ, habenda eſt ratio, figura Σ omnino iam quarto vel quinto ſeculo ante Chriſtum natum uſitata fuit, in multis quippe inſcriptionibus antiquis conſpicua. Plurimi tamen recentiorum Grammaticorum figuram C præferunt, prouocantes 1) ad ſimiles inſcriptiones vetuſtas; 2) ad TERENTII MAURI teſtimonium, inquientis:

I *ſimiliter* Ἰῶτα *credi* & C *poteſt, quod* Sigma *ſit*;

3) ad figuram menſarum apud veteres, quas *ſigmata* vocarunt; 4) ad deſcriptionem litteræ *Sigma* apud EURIPIDEM in *Theſeo*, quod *cincinnos* referat: id enim magis quadrare in figuram C, quam Σ, conf. VOSSII *Ariſtarchus* L. I. c. 30. Paulo intricatior eſt II) quæſtio de ſcriptione Diphthongorum *Impropriarum* ᾳ, ῃ, ῳ. Quidam enim in ſcriptura maiuſcula illas exprimunt AI, HI, ΩI; alii Aι, Hι, Ωι; alii denique *Jota* plane omittunt, quod præter alios JOH. DAN. MAIOR in libello de *Nummis Græce inſcriptis* & in Epiſt. de *Jota ſubſcripto* defendit, Diphthongos illas, *Improprias* vulgo dictas, penitus eliminandas eſſe contendens, quem etiam LAUR. REINHARDUS ſequitur in *Grammat. Græc.* p. 11. Certe iam dudum MELANCHTHON in *Grammat. Græc.* p. 1. 2. eandem ſententiam fouit, easque Diphthongos pro inuento Grammaticorum habuit: quare nec ut Diphthongi efferantur, & *Jota ſubſcriptum* in codicibus antiquis plane

ne omittatur. Pronunciationem tamen *Jota* illius *ſubſcripti* quod concernit, GERH. JOH. VOSSIUS l. c. L. II. c. 4. & in notis ad CLENARDI *Grammaticam Græcam* p. 3. BEZA de *pronunciatione ling. Græc.* p. 46. & HENNINIUS l. c. p. 118. pronunciandum illud præcipiunt, ſono tamen admodum exili & brevi: quorum ſententiam impugnat JOH. ROD. WETSTENIUS in Diſſ. de *Accentibus Græc.* §. 63. *Jota* illud ſubſcriptum in figura litterarum minuſcula nudum eſſe compendium ſcriptionis, putat C. G. HOFFMANNUS in Commentat. de *modulatione linguæ Græcæ* p. 37. Id certe litteræ minuſculæ ſibi peculiare habent, quod varia admittant ſcribendi compendia, multisque modis abbrevientur: quales *Abbreviaturæ*, uti vocant, in vetuſtioribus librorum editionibus frequentiſſimæ occurrunt; cum contra in recentioribus editionibus rarius adhibeantur. In plurimis libris Grammaticis præcipuas & conſuetiores *Abbreviaturas* adductas videas, omnium tamen copioſiſſime in BEZÆ *Alphabeto Græco* p. 23. ſeq. in CLENARDI *Grammat. Græca* cum notis ANTESIGNANI p. 270. ſeq. in P. THOMÆ *Nova Methodo diſcendi elementa linguæ Græcæ vulgaris* p. 40. ſeq. in *Grammatica Græca* Marchica p. 77. &c. & quod ad codices *mſcr.* atque *inſcriptiones*, apud BERNARDUM MONTFAUCON in *Palæogr. Græc.* L. V. c. 1. ÆMILIUM PORTUM in Tract. de *Mſcr. Græcorum Abbreviationibus*, SCIPIONEM MAFFEIUM in pec. libello, edit. Veronæ an. 1746. & apud EDUARDUM CORSINUM de *notis Græcorum ſive vocum & numerorum compendiis*, *quæ in æreis & marmoreis tabulis obſervantur.* Græcos *tamen*, ante inventam figuram litterarum minuſculam, in ſcriptura quo-

que maiuscula adhibuiſſe *Abbreviaturas* ſive ſcribendi compendia, vel exinde colligitur, quod HOMERI univerſa *Ilias*, referente SOLINO c. 6. notis ſive ſiglis ſcripta, adeo fuerit brevis, ut nucis unius teſtulis geminis includi poſſet: qualia ſcribendi compendia in ſcripturæ maiuſculæ monumentis, hodienum reſiduis, hinc inde occurrunt, vid. MONTFAUCON l. c. Eiusmodi *Abbreviaturis*, quarum origo ab Ægyptiis derivari ſolet, Xenophon uſus, Socratis lectiones feliciſſime calamo excepiſſe & dehinc publicaſſe dicitur. Cæterum circa figuram litteræ *Sigma* minuſculam monendum eſt, in principio & medio vocis ſcribi σ, in fine autem ς; in codicibus tamen vetuſtioribus figura poſterior etiam in medio occurrit, ſi prior Compoſiti pars in *Sigma* deſinat, ut in εἰςφέρω. Diphthongum abbreviatam ȣ non ex ου, ſed ex gemino υ ortam eſſe, (ſicut ω ex gemino ο *micro*) adeoque non eſſe Diphthongum, ſed ſimplicem Vocalem longam *u*, ut contra υ *u* breve, neque etiam ȣ more Diphthongi, ſed inſtar ſimplicis Vocalis efferri, pluribus contendit BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 97. ſeq. cui ex parte adſtipulatur HOFFMANNUS l. c. p. 35. ſed conf. ſeq. §. 17.

§. VII.

Reſtat litterarum *valor*, isque partim *eſſentialis* & *Grammaticus* in ipſa pronunciatione, partim *accidentalis* & *Arithmeticus* in *numeris*. *Valorem* litterarum *eſſentialem* conſideraturis ſtatim nobis bellum quoddam Grammaticum occurrit, ex longo iam tempore a duabus Grammaticorum partibus magno ardore geſtum, quarum altera *Etiſtarum*, altera *Jotiſtarum* vulgo audit: quia præcipua contro-

ver-

verſiæ cauſa circa pronunciationem litteræ η verſatur, quam *Etiſtæ* ut *e* longum vel *æ*, *Jotiſtæ* vero inſtar *i* efferunt, quo fere ſono etiam υ & Diphthongos ει, οι & υι pronunciant: ut adeo ſextuplex ſonus *i* in lingua Græca emergat. Bellum illud Grammaticum Anonymus quidam exhibet in *Hellenismo* ἀμφιλέκτῳ ſive *Singulari certamine Grammatico-Critico de Orthophonia & Orthodia*, edit. Coburgi an. 1740. Scripta ex utraque parte, hanc in rem emiſſa, pleraque adducuntur a CRENIO in *notis* ad CANINII *Hellenismum* p. 130. a MORHOFIO in *Polyh.* T. I. L. IV. c. 6. §. 18. ab HEDERICO in *Manuductione ad ſcientias Philologicas* p. 170. ſeq. ab HAVERKAMPIO in *Sylloge* gemina *ſcriptorum, qui de linguæ Græcæ vera & recta pronunciatione commentarios reliquerunt*, & in *Gram. Græc.* Marchica Majore p. 1237. ſeq. quibus tamen plura alia addi poſſunt. Exorta eſt controverſia illa, magno cum linguæ Græcæ damno, ſtatim exeunte ſeculo decimo quinto, cum litteræ Græcæ a RUD. AGRICOLA, REUCHLINO, ERASMO aliisque per Germaniam reſtaurarentur. REUCHLINUS eam linguæ Græcæ pronunciationem introduxit, quam a viris in Græcia natis didicerat: cuius exemplum qui ſequebantur, *Jotiſtæ* vocabantur, ipſa autem illa pronunciatio *Reuchliniana*. Contra ERASMUS in Dialogo de *pronunciatione Latini & Græci ſermonis* eam pronunciationem in medium produxit, qua η ut *e* longum vel *æ*, omnesque Diphthongi diſtincte & ut duplices Vocales efferuntur; quamquam iam ante ERASMUM ALDUS MANUTIUS in Parergo de *vitiata Vocalium & Conſonantium pronunciatione*, & in libello de *poteſtate litterarum*, quædam circa hanc rem monuerat. Qua ratione

D 4 vero

vero ERASMUS in ſententiam illam devenerit, narrant VOSSIUS in *Ariſtarcho* L. I. c. 28. & WESTENIUS in Orat. V. Apologetica pro *genuina linguæ Græcæ pronunciatione*. HENRICUS nimirum GLAREANUS, propter facetias a nonnullis pro erudito quodam ſannione habitus, aliquando Lutetia Lovanium profectus, ERASMUM ibi viſitabat. Interrogatus ab ERASMO, rerum novarum admodum ſtudioſo ac credulo: quid novi afferret? reſpondit, quosdam viros doctos natione Græcos Lutetiam veniſſe, qui longe aliter, ac factum hactenus ſit, pronunciarent, pro *Vita* dicentes *Beta*, pro *Ita Eta*, pro *αι ai*, pro *οι oi* &c. Quo audito, ERASMUS ſtatim *Dialogum* ſuum, modo dictum, conſcripſit, ut primus novæ illius pronunciationis auctor haberetur. Sed fraude deinde detecta, ne ipſe quidem ERASMUS pronunciatione illa uſus eſt, ut apparet ex colloquio, *Echo* inſcripto, quod inter eius *Colloquia Familiaria* exſtat. Nihilominus *Eraſmica* illa pronunciatio, a PETRO RAMO primum introducta, unde & *Ramæa* ſive *Ramiſtica* vocatur, multis arriſit, ac hodienum, maxime in Belgio & Saxonia Inferiore, obtinet.

§. VIII.

Defenderunt *Reuchlinianam* pronunciationem uterque SCALIGER, SALMASIUS in notis ad *Herodis Attici Inſcript.* p. 8. & 16. CRUSIUS in *Turco-Græcia* p. 44. BALBINUS in *Veroſimilibus* c. 12. GRABOVIUS in *Pomo Eridos*, NUNNESIUS & ÆMIL. PORTUS in pec. Tract. JOH. HARTUNGIUS in *Locis memorabil.* Decur. III. c. 6. §. 8. SIM. PORTIUS in *Gram. Græc. linguæ vulgaris*, ERASM. SCHMIDIUS in Diſcurſu de *pronunciat. ling. Græc.* G. C. KIRCH-

KIRCHMAIER in Diff. de *originibus & caufis litteraturæ Græcæ* c. 4. G. W. KIRCHMEIER in Diff. de *germana pronunciatione Vocalium & Diphthongorum Græc.* STEPHANUS, Epifcopus Vintonienfis, in Epiftolis de *pronunciat. ling. Gr.* contra JOH. CHEKUM, GREG. MARTINUS in Diff. *pro vetere & vera litterarum Græc. pronunciatione*, JOH. ROD. WETSTENIUS in novem Orationibus Apologet. pro *genuina linguæ Græcæ pronunciatione*, ACHILLES STATIUS in *Obfervat. difficilium locorum* c. 23. & 24. D. J. PLARRIUS in *Philologia Aphoriftica* p. 18. REIMMANNUS in *Iliade poft Homerum* Sect. II. c. 1. J. A. MÜLLERUS in pec. Program. (n) A. E. MIRUS in *Inftitut. linguæ Græc.* p. 28. GREG. PLACENTINUS in Diff. de *recta Græci fermonis pronunciatione*, adjecta ejus *Epitomæ Palæographiæ Græcæ*, & in *Commentario Græcæ pronunciationis*, aliique paffim in Grammaticis fuis. *Erasmicam* vero pronunciationem propugnarunt ipfe ERASMUS in Dialogo de *pronunciat. Græci & Latini fermonis*, THEOD. BEZA, JAC. CERATINUS, ADOLPH. MEKERCHUS & Anonymus quidam, fub nomine PHILOPAPPI latens, quorum opufcula hac de re HENR. STEPHANUS coniunctim edidit; LAUR. RAMIRESIUS in *Pentecontarcho* c. 34. JOH. CHEKUS in pec. Differt. JOH. CAJUS de *pronunciatione linguæ Gr.* JOH. ANTRECHTUS in Thefibus Grammat. de *vera litterarum Græc. pronunciatione*, præfide H. CRANZIO ventilatis, GOCLENIUS in *Problemat. Grammat.* L. V. c. 24. ANDR. HELWIGIUS in *Demonftratione pronunciationis*

(n) Exftat illud in *Actis Scholafticis* Bidermannianis Vol. I. P. I.

tionis Græcæ linguæ, HUETIUS in *Demonstrat. Evang.* Propos. III. §. 20. MORHOFIUS l. c. BUDÆUS passim in Operibus suis, LAUR. RHODOMANNUS ad Q. CALABRUM p. 360. seq. ANCILLON in *Miscellan. Lipsiens.* T. VIII. p. 57. seq. GRETSERUS in Differt. de *pronunciatione ling. Gr.* Grammaticæ eius subiecta, OL. SWANBERGIUS in Diss. de *pronunciat. ling. Gr.* THOM. SMITH in Epist. ad STEPHANUM Vintoniensem de *linguæ Græc. pronunciat.* MICH. HAVEMANNUS in *Methodo* p. 292. HENNINIUS in *Hellenismo* Ὀρθωδῷ p. 117. 118. IS. VOSSIUS de *Poëmatum cantu* p. 15. 16. G. J. VOSSIUS in notis ad CLENARDI *Gram. Gr.* ab init. HERM. HARDTIUS in *Studioso Græco* p. 145. MIRTISBUS SARPEDONIUS (i. e. FRID. REIFFENBERGIUS) in Diss. de *vera Atticorum pronunciatione*, contra GREGORIUM PLACENTINUM, J. H. SCHUSTERUS in Diss. de *natura linguarum German. Lat. Græc. & Hebr.* c. 2. sect. 3. (o) aliique in Grammaticis suis. Conf. quoque JOH. ALANUS de *pronunciat. ling. Græc.* RICH. DAWES in *Miscell. Crit.* (Cantabrigiæ editis an. 1748.) M. M. Vermeinter Griechischer Ketzer, & SAM. GELHUDUS de *veteri & vera ling. Gr. pronunciatione*, quos quia inspicere non licuit, de eorum sententia nobis non constat.

§. IX.

Longum foret, singula utriusque partis adducere argumenta; præcipua saltem attingere sufficiat. *Jotistarum* sententia maxime nititur auctoritate

(o) Qui tamen quoad Diphthongos *αι* & *ει* cum *Jotistis* facit.

ritate tam hodiernorum Græcorum, litteras ſuas more *Reuchliniano* pronunciantium, quam veterum: ſiquidem ab annis inde bis mille infinitis auctorum exemplis, tam veteres Græcos, e. g. LXX Interpretes, quam Latinos, Chaldæos, Syros, Arabes, Coptos &c. ſic pronunciaſſe, monſtrari poſſit, e. g. *Quirinus* in N. T. exprimitur per Κυρήνιος; voces Græcæ διαθήκη, εἰκῆ &c. in antiquiſſima N. T. Verſione Syriaca efferuntur *diathiki*, *iki* &c. ex αι Latini fecerunt *æ*, maxime in prima Declinatione, ex οι iidem fecerunt *i*, ut in ſecunda Declin. ex ει quoque *i*, ut ex εἴδωλον *idolum*; Cicero βίνει legit *bini*; litteram υ olim pronunciarunt inſtar *v*, ut in ἐυαγγέλιον &c. Cum contra pronunciatio *Eraſmica* nova ſit perque fraudem introducta. *Etiſtæ* vero ſententiam ſuam ſtabiliunt I) ex nominibus litterarum Græcarum, prout ex Hebraico vel Phœnicio deflexa ſunt: vt *Beta*, *Eta*, *Theta*, ab Hebraicis *Beth*, *Hheth*, *Teth*; non vero *Bith*, *Hbith*, *Tith* &c. II) Ex JUVENALI, qui inquit:

Hoc diſcunt omnes ante Alpha & Beta puellæ;

quomodo & apud PERSIVM atque MARTIALEM occurrit *Theta*, non vero *Thita:* unde nec *Alphabitum* dicitur, ſed *Alphabetum*. III) In omnibus linguis *e* longum vel ſaltem *e* anceps ſit oportet: id vero alia Vocalis eſſe nequit, quam η. IV) Ex Platone conſtat, veteres Græcos non aliud *e* habuiſſe præter ε, neque aliud *o* præter *o micron*, unde deinde Simonides η & ω efformavit: quemadmodum igitur ω cum *o micro* conſonat, ita & η cum ε ſono convenire debet. Certe TERENTIUS MAURUS, qui tempore Traiani vixit, ſcribit:

Litte-

Litteram namque ε videmus esse ad ἦτα proximam,
Sicut ο & ω videntur esse vicinæ sibi:
Temporum momenta distant, non soni nativitas.

Unde & in *Augmentis* Verborum ε in η producitur, ut ο in ω. V) Pronunciatio *Jotistarum* meras involvit tautologias, obque sonum *i* continuo recurrentem muliebris videtur, linguæque Græcæ suavitati, tantopere celebratæ, minime consentanea. VI) Græci Hebræorum *Tzeri* & Latinorum *e* longum expressuri, adhibent η suum: ut ἠλὶ, Hebr. אֵלִי, Φῆστος, Lat. *Festus* &c. sicut contra Latini *e* pro η, e. g. *zelus*, a Græco ζῆλος, *lebes*, *lebetis*, a Græco λέβης, λέβητος; non vero *zilus*, *lebis*. VII) Veteres Græci ad balatum ovium exprimendum adhibent vocabula ὀνοματοποιητικὰ, βῆ βῆ, caprasque vocant μηκάδες: atqui ovium balatus non refert sonum *bi bi*, sed *be be*, & Germanis caprinum pecus meckern (i. e. *balare*) dicitur, non vero mickern. Quod ad Diphthongos in specie attinet, illæ certe VIII) sic vocantur, quia sunt Vocales duplices: quod si vero αυ efferatur *af*, ευ & ηυ *ef*, ωυ *of*, tunc Vocalis posterior revera ut Consona pronunciatur; si ει, οι & υι pronuncientur ut *i*, una saltem Vocalis auditur, non gemina; & cur ου non æque effertur per *of*, sed *u?* quid denique fiet in *Diæresi*, quæ Diphthongorum Vocales singulas seorsim proferendas præcipit, ut ἀΰτὸς pro αὐτός? quomodo, quæso, *af* divelli potest?

§. X.

Cum itaque ex utraque parte argumenta exstent satis idonea, quidam in eam devenerunt sen-

ten-

tentiam, utramque forsitan pronunciationem olim fuisse frequentatam, in diversis tamen Græciæ regionibus, *Erasmicam* scil. in Æolia & Jonia, quo Cadmus primum ex Phœnice appulit; *Reuchlinianam* vero apud Atticos: Jones enim & Æoles η sæpius permutasse cum ε, Atticos vero pro η adhibuisse ι, dicentes e. g. ἱμέρα pro ἡμέρα. Sentiunt ita OPITIUS in *Græcismo restituto* p. 7. GUMPRECHT in *Florilegio Grammaticæ Græcæ* p. 5. & Celeb. WÆHNER in *Gram. Græc.* p. 25. Sunt, qui utramque pronunciationem quodammodo conciliare student, vt SCHOERLINGIUS in Differt. de *Græcæ linguæ pronunciatione ejusque Dialectis.* Quidam denique, ut JAC. MATTHIÆ de *Litterarum doctrina* L. II. GATAKERUS in Diff. de *Diphthongis sive bivocalibus*, D. VENZKIUS in *Pentade Observat. Philolog.* IV. &c. utramque pronunciationem æque esse & tantisper manere incertam, donec veterum Græcorum aliquis, ex mortuis redux, litem dirimat.

§. XI.

Jam vero Alphabetum Græcum percurramus, quid circa singulas illius litteras speciatim notandum sit, consideraturi. Littera β *Jotistarum* nonnullis ut Lat. *Vau* effertur, & exinde *Vita* vocatur: quia hodierni Græci sic pronuncient, atque β cum Lat. *v*, *ph* & *f* permutetur, e. g. דָוִד Græce exprimitur Δαβὶδ & Δαυὶδ, *Virgilius* Græce scribitur Βιργίλιος, alias Οὐεργίλιος, ex Græco θρίαμβος Latini fecerunt *triumphus* &c. Quam sententiam pluribus tuentur GREG. MARTINUS in Diff. *pro veteri & vera litterarum Græcarum pronunciatione* p. 2. seq. & J. H. ab ELSWICH in Ob-

Obſervat. de *Vulgario* (p). Verum quod Nomina *Propria* concernit, permutatio illa omnino derivanda videtur a defectu litteræ, qua Hebræorum & Latinorum *Vau* a Græcis commode exprimi poſſit; neque a permutatione litterarum eiusdem *Organi* ad earundem pronunciationem recte concluditur. Optime itaque β pronunciatur ut *b* Latinorum. Littera γ vulgo vitioſe effertur fere inſtar *ch*; cum potius ſonare debeat ut Germanorum *g* in voc. Gott, ſono ſcil. intermedio inter κ & χ. In eo fere Grammaticis convenit, γ ante litteras *palatinas*, γ, κ, ξ, χ, pronunciandum eſſe inſtar *n*, ſed obſcurius, ſono quodam intermedio inter *g* & *n*, ut in Germ. langen, bringen, eo quod in caſibus illis alternet pro ν, ut ἄγγελος pro ἄνγελος, Lat. *angelus*. Dubitat tamen ANTESIGNANUS in *notis* ad CLENARDI *Grammat. Græc.* p. 7. an veteres Græci ſic pronunciaverint, exiſtimans, eos potius γ ſubſtituiſſe pro ν; quia ν ante *palatinas* vt γ, vel ſaltem paulo aliter ac alibi, ab illis pronunciaretur: ſiquidem littera *n* ante aliam Conſonantem difficulter proferatur, ideoque in lingua tam Hebraica quam Græca ac Latina in ſequentem litteram commutetur vel plane elidatur. His addi poteſt: quia litteræ *palatinæ* γ, κ, ξ, χ, τὸ ν ante ſe reſpuunt, in γ ideo mutandum, exinde recte colligitur, γ illud non eſſe legendum ut *n*: quidni enim ſic ν maneret? Quare MEKERCHUS de *pronunciat. ling. Græc.* c. 53. & Auctor *Apologetici* pro *germana ling. Græc. pronunciatione* p. 255. (Collectionis *Stephanianæ*,) γ ante aliud γ ſonum ſuum nati-

(p) Inſerta *Bibliothecæ Lubec.* Vol. I. p. 47. ſeq.

nativum retinere, asserunt, sicut in Lat. *agger;* contra ante κ, ξ, χ, τὸ γ habendum esse pro littera vel nota quadam adulterina, peregrino sono efferenda: quibus & alii adstipulantur, vt J. H. SCHUSTERUS in Diss. de *natura linguarum* p. 39. & BEZA de *pronunciat. ling. Gr.* p. 10. seq. qui Grammaticos illud ν, ab amanuensibus paulo longius hoc casu protractum, per errorem pro γ habuisse coniicit, testans, se in vetustissimo codice mscr. Epistolarum Pauli vocabula ἄγγελος, ἄγκυρα & ἀγκάλη reperisse per ν scripta: (q) qua in re tamen eum refellit VOSSIUS in *Aristarcho* L. I. c. 20. conf. WETSTENII *Orat. Apologet.* IX.

§. XII.

Littera ζ nomen quidem habet ab Hebr. צ, minime tamen sic legenda: unde nec LXX Interpretes Græci scriptoresque sacri N. T. in exprimendis Nominibus *Propriis* pro צ Hebr. ζ, sed ubique σ adhibent. Z stare pro δσ, communis est sententia. Sunt tamen, qui illud valere σδ volunt, ut URBANUS, NEANDER, VERGARA, G. J. VOSSIUS in *not.* ad CLENARDI *Grammat. Gr.* p. 4. TSCHONDERUS, WELLERUS, WÆHNER &c. sequentibus nixi argumentis: I) DIONYSIUS *Halicarnasseus*, SEXTUS EMPIRICUS *adversus Grammaticos* c. 5. & EUSTATHIUS in HOMERI *Odyss.* VI. p. 263. diserte id testantur. II) Dores, qui

(q) Plura exempla, ubi ν, non γ, ante litteras *palatinas* scriptum legitur, ex codicibus antiquis & marmoribus collegit Celeb. FISCHERUS in *Animadvers.* ad WELLERI *Grammat.* p. 90.

qui Consonantes duplices in simplices suas resolvere amant, dicentes e. g. πέλοπς pro πέλοψ, ζ resolvunt in σδ, ut συρίσδω pro συρίζω, Σδεύς pro Ζεύς &c. III) in Dat. plur. tertiæ Declinationis & in Fut. simplices γς, κς, χς, per duplicem ξ, ut & βς, πς, φς, per ψ compendiose exprimuntur: quod idem & cum ζ fieri debebat, e. g. pro λαμπάδσι, ἄδσω, scribendum erat λαμπάζι, ἄζω &c. atqui illud non fit, sed δ plane extruditur, quod indicio est, ζ non valere δς, ideoque nec reponi pro δς. IV) ν Præpositionis σὺν ante ζ excluditur, ut συζάω pro συνζάω; quemadmodum idem fit sequente σ, ut ante σκ, σπ, στ, σφ, σχ, novo indicio, priorem Consonantium, quas ζ exhibet, σ esse, non δ: si enim prior esset δ, ν Præpositionis σὺν omnino asservandum foret, ut alibi sequente δ, e. g. in σύνδεσμος. V) δ alias Consonantes post se non fert, præter μ, ν, ρ: ergo nec δ in littera duplice ζ post se patitur σ. VI) Nullum vocabulum apud Græcos definit in δ, ideoque nec in ζ; quia scil. δ litterarum, in ζ contentarum, est posterior: quod si enim σ posterior esset, omnino vocabula terminari possent in ζ, æque ac in σ cæterasque duplices ξ & ψ. Accedit VII) quod litteræ Hebr. שׁד subinde per ζ exprimantur, ut אַשְׁדּוֹד, Græc. Ἄζωτος Act. 8, 40. & VIII) in inscriptionibus *Zmyrnæi* repetitur atque *Sdmyrnæi*, conf. VOSSIUS l. c. c. 21. Quia tamen argumenta, modo adducta, GUMPRECHT in *Florilegio Gram. Græc.* p. 49. seq. non parum infregit, & usus insuper rerum est magister, ζ vulgo legitur ut δς sive ut Lat. z.

§. XIII.

§. XIII.

De η supra dictum est. Θ in iudiciis nota erat *damnationis:* quia initiale est in voc. θάνατος, indeque MARTIALI *Theta mortiferum,* & PERSIO *nigrum* dicitur. In pronunciatione bene distinguendum est a δ & τ, cum sit littera adspirata, quae adspiratio sibilum quendam involvit: sicut & Hebr. ת *raphatum* sive *non-dagessatum* a Iudaeis nostris cum sibilo effertur. Conf. CHR. WINTERBERGII Diss. de *littera Theta.* Litteram ν quidam Grammatici, ut CLENARDUS, CRUSIUS, NEANDER, TSCHONDERUS &c. ante *labiales* β, μ, π, legendam esse instar *m*, praecipiunt, ut τὸν βίον, *tom bion*, (r) π item post μ instar *b*, & τ post ν ut δ: quod tamen merito reiiciunt GOCLENIUS in *Problemat. Grammat.* L. V. c. 24. MEKERCHUS l. c. GUMPRECHT p. 63. & SCHOERLINGIUS in Diss. de *pronunciat. ling. Graec.* c. 1. §. 6. ο dicitur μικρὸν, i. e. *parvum*, opposite ad ω (ο *mega*), quod & figura & Quantitate *maius* est. Circa pronunciationem litterae σ monendum est, ante τ male istud efferri instar *sch*, e. g. ἐστὶ non pronunciandum est *esch-ti*, sed *es-ti.* Denique υ vocatur ψιλὸν i. e. *tenue*, ratione Diphthongi ου: sicut ε ψιλὸν dicitur respectu τοῦ η. Idem υ *Iotistis* nunc *v* sonare, nunc *i*, supra monuimus; pronunciandum potius esse ut *u* Gallicum vel Hebraeorum *Kibbutz*, non ut *i*, GRETSERUS exinde probat, quod Latini υ ψιλῷ careant: si vero υ valeret *i*, tunc Latini omnino υ ψιλὸν haberent. ERASMUS & MEKERCHUS

E pro-

(r) Fere ut apud Arabes littera *Nun* ante *Be* legitur ut *m*, vid. ERPENII *Grammat. Arab.* p. 13.

pronunciationem Vocalis υ per *u* Gallicum ex sono quorundam animalium, ut cuculorum, ulularum, suum & boum, confirmant: quod ridiculum videtur WETSTENIO. Cæterum υ littera vocari solet *Pythagorica*: quia Pythagoræ figura eius maiuscula Υ symbolum vitæ humanæ fuit. Tantum de *valore* litterarum *essentiali*.

§. XIV.

Ad *valorem* litterarum *accidentalem* in *numeris* quod attinet, vetus est consuetudo, *numeros* exprimendi per litteras. Utrum Græci ab Hebræis, an vero Hebræi a Græcis morem illum mutuo acceperint, non constat. Certe in codice Hebr. V. T. omnes numeri integris vocibus scribuntur. Valor ille litterarum *Arithmeticus* vel ideo observandus venit, quia in ipso N. T. Textu Græco eius rei exempla occurrunt, ut Apoc. 7, 4. seq. c. 13, 18. Est autem ratio numerandi per litteras vel *quasi naturalis* vel *artificialis*. Illa est, si singulæ litteræ eo ordine, quo in Alphabeto sequuntur, numerorum vicem sustinent, ut α notet *unum*, β *duo*, γ *tria*, & sic deinceps, usque ad extremam litteram ω, quæ *viginti quatuor* significat. Obtinet autem ille numerandi modus, si numerus non ultra XXIV ascendit, ut in numerandis 24 libris *Iliados* & *Odyssee* HOMERI. Observat GRETSERUS, aliorum quoque Græcorum libros ita fuisse numeratos. Ratio numerandi magis *artificialis* fit vel per minusculas vel per maiusculas litteras. Priori modo singulæ Alphabeti litteræ in tres classes distribuuntur, e quibus α, β, γ, δ, ε, ζ, η, ϑ, *monades* sive *unitates* designant; ι, κ, λ, μ, ν, ξ, ο, π, *decades* significant; ρ, σ, τ, υ, φ, χ, ψ, ω, nume-

numeros *centenarios*. Cum vero hac ratione litteræ Alphabeti Græci omnibus numeris exprimendis non ſufficiant, defectum illum compenſant tres figuræ plane ſingulares, ἐπίσημα vulgo dictæ, apud ſcriptores, multis numeris occupatos, e. g. apud SYNCELLUM in *Chronographia*, frequentiſſime obviæ. Adhibetur autem pro numero *ſenario* ἐπίσημον, Βαῦ dictum, ϛ, (quidam vocant *Sti*) pro numero *nonagenario* venit Ϟ, pro 900 denique ϡ. Duo tamen poſteriora ἐπίσημα varie a variis formantur: nam ἐπίσημον Ϟ, *Koppa* dictum, alii ſcribunt ϥ vel ϟ vel ϙ; ἐπίσημον tertium exprimunt π vel πῖ vel ϑ vel ʒ; frequentior tamen eſt figura ϡ vel ϡ, quæ *Sanpi* ſive *Sampi* vocatur: quia compoſita eſt ex inverſo *Sigma*, C, quod Doribus *San* appellatur, (procul dubio ab Hebr. *Sin*) & ex π illi inſerto. Conf. de illis *Epiſemis* VOSSIUS in *Ariſtarcho* L. I. c. 32. SALMASIUS ad SOLINUM p. 626. ſeq. SCALIGER ad EUSEBII *Chronicon* p. 108. C. G. SCHWARZIUS in Diſſ. de *antiqua numeri nota* ἐπίσημον *dicta*, & *Obſervationes Halenſes* Tom. VI. n. 5. Optime rem enodarunt SCALIGER l. c. BOCHARTUS in *Canaan* L. I. c. 20. OPITIUS in *Græciſmo reſtituto* ab init. & Doctiſſ. J. L. RECKENBERGER in *Principiis linguæ Græcæ* §. 18. qui ordinem valoremque litterarum in numeris cum Alphabeto Phœnicum vel Samaritanorum contulere: ex qua collatione liquido patet, ἐπίσημον Βαῦ nihil aliud eſſe, quam Phœnicum *Vau* ϒ inverſum, ἐπίσημον item *Koppa* revera eſſe *Koph* ϙ inverſum, & *Sampi* ʒ ſive ϡ *Tzade* ͳ ſurſum erectum: quo pacto duo ἐπίσημα poſteriora tranſpoſita ſunt; cum alioquin τὸ *Tzade* in ordi-

ne Alphabetico τῷ *Koph* præcedat. Cur vero illa *Episema* a Græcis in ipsum Alphabetum non sint relata, inde derivandum est, quod non pro *litteris*, sed pro solis *numeris* usurpentur. BOCHARTUS tamen l. c. veteres Græcos utique Alphabeto ea annumerasse, contendit, idque ex Latinorum Alphabeto confirmat, ubi ex *Episemo* Βαῦ littera *F*, ex *Episemo* vero *Koppa* littera q ortum ducat: prout & ipsi Æoles figuram F pro *Vau* adhibuerint. Numeri porro, inter *denarios* & *centenarios* intermedii, *unitatibus* & *denariis* superadditis designantur: ut ια 11, ϱκ 120, & sic deinceps. Numeri *millenarii* iisdem litteris, quibus exprimi solent *monades*, *decades* & *centenarii*, scribuntur, sed virgula subscripta vel præfixa, e. g. ͵α notat 1000, ͵β 2000, & sic porro: ut contra quidam *monadibus*, *decadibus* & *centenariis* eiusmodi virgulam superimponunt, hoc modo: α′, β′, γ′ &c. Si itaque annus præsens 1752 Græce numerandus foret, scriberemus ͵αψνβ.

§. XV.

Aliter se habet ratio numerandi per litteras *maiusculas*, quæ antiquior habetur, quod & ipsa litterarum figura *maiuscula* vetustior sit *minuscula*. Fit enim illa per sex tantum litteras: Ι, (quæ prima est littera ex ἴα, (Æolice pro μία) *unus*, Π πέντε, *quinque*, Δ δέκα, *decem*, Η ἑκατὸν, (quod olim scribebatur HEKATON, conf. infra §. 34.) 100, Χ χίλιοι, 1000, & Μ μύϱιοι, 10000. Ubi observandum, per compendium quoddam scribendi *decades* inde a 50, *centenarios* a 500, & *millenarios* a 5000, & sic deinceps, ventri litteræ Π includi: ut Ι 1, ΙΙ 2, ΙΙΙ 3, ΙΙΙΙ 4, Π 5, ΠΙ 6, ΠΙΙ 7, ΠΙΙΙ 8, ΠΙΙΙΙ 9,

ΠIIII 9, Δ 10, ΔΔ 20, ΔΔΔ 30, ΔΔΔΔ 40, 𐅄 50, 𐅄Δ 60, 𐅄ΔΔ 70, &c. H 100, HH 200, HHH 300, HHHH 400, 𐅅 500, 𐅅H 600, 𐅅HH 700 &c. X 1000, XX 2000, &c. 𐅆 5000, 𐅆X 6000 &c. M 10000, MM 20000 &c. 𐅇 50000, 𐅇M 60000, &c. Quod ſi igitur præſentem annum eiusmodi litteris numeralibus exprimere quis vellet, ille ſcriberet X 𐅅HH𐅄II. Plura de *numeris* Græcorum dabunt GRETSERUS in *Gram. Græc.* L. III. p. 160. ſeq. G. HENISCHIUS de *numeratione multiplici*, JOACH. CAMERARIUS de *Græcis Latinisque numerorum ſignis*, J. W. KIRCHMEIERUS in Diſſert. II. de *Orthographia Græcorum* §. 11. HEDERICUS in *Manuduct. ad ſcientias Philolog.* p. 129. ſeq. BIANCONIUS de *Litteris Hebræorum & Græcorum* p. 49. ſeq. *Grammatica Græca* Marchica p. 130. &, qui aliquot errores, circa hanc rem vulgo committi ſolitos, corrigit, MONTFAUCON in Præfat. ad *Palæograph. Græc.* p. 12. 13.

§. XVI.

Valori litterarum Græcarum *eſſentiali* & *accidentali*, hactenus explicato, tertium quendam ſuperaddit GODOFR. HENSELIUS in *Synopſi univerſæ Philologiæ* c. 4. qui in eo conſiſtat, ut eædem litteræ, pro ipſarum interiore natura ac conſtitutione, certos quosdam ſignificatus involvant, ex quorum combinatione ſignificatio totius vocis exiſtat: eodem fere modo, quo CASP. NEUMANNUS, V. E. LOESCHERUS horumque ſequaces litteris Hebraicis notionem quandam, ex ductibus ſingularum æſtimandam, tribuunt: e. g. *α* ex illius mente index eſt *primi*, *efficaciſſimi maximeque perennis motus*,

tus; β *capedinis*, *materiæ* vel *corporis & obiecti* &c. Qua in re tamen, ſubtili magis quam vera, neminem, quantum ſcio, ſibi conſentientem invenit.

§. XVII.

Supereſt varia litterarum Græcarum *diviſio*. Prima eaque præcipua *diviſio* eſt, quæ fit in *Vocales* & *Conſonantes*. In omnibus linguis quinque dantur ſoni, quibus Conſonantes proferuntur: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, totidemque proprie ſunt *Vocales*. Cum vero ſoni illi modo *breves* ſint, modo *longi*, Hebræis decem exinde natæ ſunt *Vocales*: qua in re lingua Hebraica omnes alias linguas ſuperat. Hebraicæ proxime accedit Græca, ſeptem habens *Vocales*, utrumque quippe ſonum *e* & *o* per duplicem *Vocalium* figuram exprimens. Totidem & Æthiopes habent: ut contra Syri ac Latini tantum quinque, quibus adeo ſingulæ Vocales *Quantitatis* dubiæ ſunt ſive *ancipites*. Circa *Jota* in ſpecie obſervandum, quod ſemper ſit littera *Vocalis*, nunquam *Conſonans*. BISCHOFFIUS tamen in *Cadmo* p. 76. 114. 115. *Jota* interdum eſſe *Conſonantem*, contendit, ut 1) ab initio vocis, ſequente Vocali, e. g. in Ἰȣδαῖος, quod in Carminibus Sybillinis ut triſyllabum uſurpatur; 2) in medio inter duas Vocales, ut in Πηληϊάδεω, quo HOMERUS ut pentaſyllabo utitur, & 3) in fine vocum, nulla ſequente Conſona, ut in λόγοι: inde *Jota* Conſonanti ab initio male ſuperimponi Spiritum, neque opus eſſe vulgata illa exceptione Grammaticorum: *αι & οι finales Accentuum ratione habentur pro brevibus*; cum revera non ſint Diphthongi. Eandem ſententiam etiam Celeb. VENZKIUS ſequitur in *Obſervat. Philolog. Pentade IV.* & ex parte

SCHOER-

SCHOERLINGIUS in Diff. de *pronunc. ling. Gr.* c. 1. §. 13. Pari ratione υ *Jotistis* modo *Vocalis* est, modo *Consonans* pronuncianda instar *Vau:* Vocalis quidem, 1) ubi syllabam incipit, ut in ὕω; 2) quoties signum *Diæreseos* accepit, ut in αϋτὸς; alibi semper Consonans.

§. XVIII.

Diversimode vero septem illæ Græcorum *Vocales* subdividi solent: nimirum I) ratione *Quantitatis*, in *breves*, ut ε & ο; *longas*, ut η & ω; & *ancipites*, ut α, ι, υ, sic dictas, non quasi semper in una eademque voce *ancipites* sint; sed quia in aliis vocabulis *longæ* sunt, in aliis *breves*, e. g. λα in λαὸς longum est, contra α in ἀεὶ breve: qua de re pluribus in *Prosodia.* II) Ratione *Qualitatis*, in *mutabiles*, ut α, ε, ο; & *immutabiles*, ut η, ι, υ, ω: quod tamen saltem de mutatione, qua *breves* producuntur in *longas*, intelligendum; cum alioquin omnes Vocales varie mutari soleant, maxime in Dialectis, ut pluribus monstrarunt CANINIUS in *Hellenismo* p. 5. seq. & WELLERUS in *Gram. Gr.* p. 6. seq. Quod vero ε in η, & ο in ω producatur, exinde fit, quia longæ, η & ω, brevibus, ε & ο, mutuo quoad sonum respondent, ex illis primitus conflatæ. Quod porro α in η producatur, inde derivandum videtur, quia η aliquid ex sono α continet & quasi ex α & ε mixtum: unde quoties Verbo ab α incipienti Augmentum ε præmittendum est, ε & α commode contrahuntur in η, ut ἦγον ex ἔαγον, ab ἄγω; sicut & alibi εα in η contrahi solet, ut ἀληθῆ ex ἀληθέα. E contrario Vocalis ι immutabilis manet, nec in longiorem producitur, quia longior similis soni deficit; neque etiam υ in ȣ producitur, quia ȣ

non eſt Vocalis longa oppoſita, ſed Diphthongus: unde patet, falſam eſſe BISCHOFFII ſententiam, ſupra memoratam §. 6. III) Ratione *Formæ*, in *ſimplices*, ut α, ε, η, ι, ο, υ, ω, & *duplices*, quæ alias *Diphthongi* appellantur.

§. XIX.

Sunt autem *Diphthongi* illæ vel *Propriæ*, ut αι, αυ, ει, ευ, οι, ου; vel *Impropriæ*, ut ᾳ, ῃ, ῳ, ηυ, υι, ωυ. Ratio vero, cur aliæ *Propriæ*, aliæ *Impropriæ* appellentur, ſtante hac diviſione, reddi commode nequit. Grammatici enim dici *Proprias* vulgo volunt, quia utraque earum Vocalis diſtincte pronuncietur: quod tamen etiam de *Impropriis* ηυ, υι & ωυ valet. Rectius igitur quidam Diphthongos ηυ, υι & ωυ *Propriis* quoque annumerant, ut ſaltem tres reliquæ ᾳ, ῃ, ῳ, *Impropriarum* claſſem conſtituant, quomodo ratio nominis in promtu eſt: nimirum ᾳ, ῃ, ῳ ut *Diphthongi* quidem ſcribuntur, non vero ſic efferuntur, exinde a veteribus Grammaticis ἄφωνοι dictæ, ut ηυ, υι, ωυ κακόφωνοι. De *Jota ſubſcripto*, quod Dores & Æoles non ſcribunt, dictum eſt ſupra §. 6. De *Diæreſi* Diphthongorum infra ſuo loco tractabimus. Subdividuntur Diphthongi *Propriæ* eodem modo, quo Vocales, in *mutabiles* & *immutabiles*: prioris generis vulgo habentur αι, αυ, οι; poſterioris ει, ευ, ου. Ubi tamen monendum eſt, 1) mutationem illam ſaltem eſſe *Quantitatis* brevioris in longiorem, quod & ſupra de Vocalibus *mutabilibus* dictum. 2) Diphthongos illas eſſe *mutabiles*, quarum prior Vocalis & ipſa *mutabilis* eſt, ut ſunt α, ε, ο, producendæ in longas, α & ε quidem in η, ο vero in ω, quibus *Jota* deinde ſubſcribi ſolet. 3) Di-

Diphthongos quasdam *Proprias* falſo haberi pro *immutabilibus*, quod illius mutationis in Dialecto *Communi* nulla ſuppetant exempla: abſolute enim *immutabiles* non eſſe, patet ex Dialecto *Attica*, ubi in Augmento Verborum ει mutatur in η, & ευ in ηυ. Unde ει & ευ recte a WELLERO in *Gram. Græc.* p. 155. *mutabilibus* accenſentur. Ut vero ευ non etiam in ωυ producatur, obſtare videtur κακοφωνία & pronunciationis difficultas Diphthongi ωυ, ſolis proinde Jonibus uſitatæ.

§. XX.

Conſonantium prima *diviſio* fit in *Mutas* & *Semivocales*, ubi ſtatim ſubnaſcitur quæſtio: cur quædam Conſonantes dicantur *Mutæ*, cum revera ſine Vocalibus omnes *mutæ* ſint nec ſonum edant? Grammatici vulgo reſpondent: quia neque vocem, ut Vocales, neque ſtrepitum, ut *Semivocales*, edunt; cum contra *Semivocales*, licet nullas Vocales habeant adiunctas, quandam tamen ſtrepitus ac ſoni ſpeciem referant. Dicam clarius: *Semivocales* tam ante quam poſt Vocales aliquamdiu citra Vocalem protrahi atque audiri poſſunt, e. g. ϱ in ϱε protrahere licet, quaſi ſcriptum ſit ϱϱϱϱε, & vice verſa in εϱ, ac ſi ſcriptum ſit εϱϱϱϱ; ut contra *Mutæ*, e. g. τ & β in τε, βε, & vice verſa in ετ, εβ, una cum Vocali uno ictu protruduntur cumque ea ſtatim quaſi *obmuteſcunt*. In pronunciandis *Mutis* adſpiratis φ & χ adſpiratio quidem extendi & protrahi poteſt, non vero ipſa littera. Subdividuntur porro Conſonantes *Mutæ* in *Tenues*, π, κ, τ, in *Medias*, β, γ, δ, & *Adſpiratas*, vel ut aliis vocantur, *Aſperatas*, φ, χ, ϑ. *Tenues* ſic appellantur,

E 5 quia

quia *tenuiter* ſive *leniter* & ſine adſpiratione proferuntur: quo ſenſu & Spiritus *Lenis* dicitur *Tenuis*. *Adſpiratæ* vero *adſpirationem* quandam ſive Spiritum *Aſperum* incluſum habent, & *Mediæ* denique *medium* tenent *Tenues* inter & *Adſpiratas*. Subdividuntur & *Semivocales* in *Liquidas*, λ, μ, ν, ϱ, & *Duplices*, ζ, ξ, ψ. *Liquidæ* vocantur, quia ita ſunt lubricæ & molles, ut in pronunciatione cum aliis concurrentes, cum illis quaſi *colliqueſcant*. Inde fit, ut I) Liquidæ illæ, *Mutis* poſtpoſitæ in ſyllaba, quæ alias *Poſitione* longa fieri ſolet, præcedentem Vocalem, natura brevem, faciant ancipitem, e. g. ſyllaba με in μέτϱον anceps eſt: *longa* quidem propter *Poſitionem* & concurſum duarum Conſonantium; *brevis* autem, quia ϱ cum τ præcedente in unum quaſi *colliqueſcit*, eoque reſpectu pro una quaſi Conſonante habetur. II) Ut eædem immutabiles ſint: quia ſcil. ob mollitiem ſuam & *liquiditatem* in pronunciando remoram non faciunt, adeoque haud difficulter aſſervari poſſunt; quod tamen non abſolute, ſed ſaltem de uno atque altero caſu intelligendum eſt: ut in tertia Declinatione, in Fut. Verborum &c. Nam & alibi ſubinde excluduntur & mutantur, maxime ν. Cæterum litteram *Liquidam* ϱ geminare amant Græci, more ab Hebræis plane diverſo, qui a geminatione litteræ ר abhorrent. De *Duplicibus* ſupra iam dictum §. 5. Inter Conſonantes, modo memoratas, *Sigma* vulgo locum plane non occupat, ſed a Grammaticis pro *ſolitario* & μοναδικῷ habitum, neque ad *Mutas* neque ad *Semivocales* refertur: qua iniuria iam antiquitus affectum eſt, quaſi magis proprium ſit anſerum, viperarum, aliorumque animalium ſibilantium. DIONYSIUS *Rhe-*

Rhetor σ ut *viperinum* vituperavit, & PINDARUS *adulterinum* illud vocitasse odamque integram absque ullo σ confecisse, alius vero Poëta omnia *Sigmata* ex HOMERI *Odyssea* expunxisse, narratur. Neque etiam Attici σ amarunt, eius loco substituentes τ: unde LUCIANUS in Dialogo, qui Δίκη φωνηέντων inscribitur, *Sigma* introducit, causam suam ad septem Vocales, veluti arbitras, deferens, seque per τ multis vocabulis excludi quiritans. Nemo tamen eius causam egit; donec LIPSIUS, misericordia quasi commotus, in Dialogo de *pronunciat. ling. Lat.* c. 16. illud defendit ejusque hostes acute perstrinxit. Fuerunt quoque inter veteres quidam ejus patroni, qui idem *Semivocalibus Liquidis* annumerarunt. ut ARISTOTELES, PRISCIANUS, DIONYSIUS *Thrax*, EUSTATHIUS &c. idque iure meritoque: quia æque ac reliquæ Semivocales, licet nullam Vocalem habeat adjunctam, quandam tamen strepitus ac soni speciem refert. Divisioni Consonantium in *Mutas* & *Semivocales* quidam Grammatici duas alias superaddunt: ut 1) secundum *Organa* loquelæ, in

Labiales, β, μ, π, φ, ψ,
Dentales, ϱ, σ,
Linguales, δ, ζ, ϑ, λ, ν, τ,
Palatinas, γ, ϰ, ξ, χ.

Quæ divisio insignem usum habet in Consonantium mutationibus: ut cum ν ante *labiales* in μ, ante *palatinas* in γ transit, &c. 2) Ratione *loci* vel *terminationis* in *finales*, in quas terminari possunt vocabula pure Græca: quales sunt ν, ξ, ϱ, σ, ψ; & in *non-finales*, in quas non terminantur, ut reliquæ.

quæ. Voces itaque non terminatæ in ν, ξ, ϱ, σ, ψ, peregrinæ eſſe intelliguntur, ut Ἀδάμ. Excipienda tamen ſunt ἐκ & οὐκ. Circa μ MECKERCHUS in ſpecie notat, vocabula Græca in illud non terminari, quia in fine difficile eſt pronunciatu: unde & Poëtæ Latini *m* finale, ſequente Vocali, per *Eliſionem* abſorbent.

CAPUT II.

DE SYLLABIS EARUMQUE ACCIDENTIBUS.

§. XXI.

Ex litteris, ſimul ſive uno halitu prolatis, oriuntur *Syllabæ:* quarum tum *Natura*, tum *Affectiones* ſive *Accidentia* conſideranda hic veniunt. Eſt autem Syllaba 1) ratione *Formæ*, vel *Simplex*, nuda Vocali, aut Conſonante Syllabam incipiente, & Vocali conſiſtens, ut Θε-in Θεός; vel *Compoſita*, cujus Vocalis utrinque habet Conſonantem, aut quæ non in Vocalem, ſed in Conſonantem deſinit, ut τός in κλητός. Probe hic tenendum eſt, qua ratione Syllabæ inter legendum & ſcribendum ſint dividendæ. Hac de re Grammaticorum paſſim exſtant regulæ, quarum præcipuæ ſunt: α) In quam litteram integra vox non terminatur, in eam nec Syllaba deſinit, vel potius, (ut complures evitemus exceptiones,) Conſonantes, ab initio integræ vocis combinabiles, etiam ab initio Syllabæ in medio vocis combinandæ

dæ ſunt, e. g. βδ, quia coniunguntur ab initio vocis βδάλλω, etiam in ἔ-βδομος conjungi debent. Immo Conſonantes quædam in dividendis Syllabis combinantur, licet deſint exempla integrarum vocum, ab illis inchoata, vt βα-θμὸς, ἐ-σθλὸς, ἰ-σχνὸς &c. Quam tamen regulam J. H. SCHUSTERUS in Diſſ. de *natura linguarum* p. 40. pro futili & inani Grammaticorum invento habet. 6) Ut vox componitur, ita & dividitur, e. g. συν-εκ-δοχή. Contra, quæ Conſonans extra Compoſitionem ad præcedentem Vocalem non pertinet, ea nec in Compoſitione ad eam referenda eſt, ut ρ in παρὰ non ad priorem, ſed poſteriorem Syllabam pertinet: ergo dicendum & ſcribendum eſt πα-ρέχω, non vero παρ-έχω; id quod etiam de *Apoſtropho* valet, ut πάν-τ'ἔλεγον, non πάντ'-ἔλεγον, νύ-χθ'ὅλην, non νύχθ'-ὅλην &c. quamvis circa *Apoſtrophum* Grammatici in dividendis Syllabis non conſentiant; cum alii ſcribere malint πάντ'-ἔλεγον, νύχθ'-ὅλην. Plures regulas, huc facientes, alibi reperias, maxime in Majore *Grammatica Græc.* Marchica p. 63. ſeq. II) Ratione *Qualitatis*, Syllaba dicitur vel *Pura*, quam Vocalis vel Diphthongus immediate præcedit, a Vocali vel Diphthongo inſuper inchoatam, ut ος in ἅγιος; vel *Impura*, ubi eius contrarium eſt, ut θὸς in ἀγαθὸς. III) Ratione *Quantitatis* ſive *temporis*, vel *longa* eſt, vel *brevis*, vel *anceps*. *Longa* eſt Syllaba vel Vocali longa & Diphthongo: ut utraque Syllaba in μῶμυ; vel *Contractione:* ut α in βόα contract. ex βόαε; vel *Poſitione:* ut utraque Syllaba in λάρναξ. *Brevis* eſt, quæ Vocalem *brevem* habet: ut utraque in λόγε. *Anceps* denique, quæ Vocalem *ancipitem* habet: ut

ut κα in καλός. Pauciſſima tamen dantur vocabula, ubi Vocales ancipites α, ι, υ, Syllabam faciunt communem; ſed ſaltem *ancipites* vocantur illæ Vocales, ut ſupra iam monitum, quia in aliis vocibus longæ ſunt, in aliis breves: qua in re ſtandum eſt auctoritate veterum Poëtarum. Ipſæ autem Vocales illæ *ancipites* in cauſa ſunt, cur *Proſodia* peculiarem Grammatices partem conſtituat; cum alioquin modo dicta ad cognoſcendam Syllabarum *Quantitatem* fere ſufficere poſſent.

§. XXII.

Maximum circa Syllabas momentum ſunt earum *Accidentia* & *Affectiones*, vel, ut aliis vocantur, *Notæ Diacriticæ:* ut ſunt 1) *Accentus*, 2) *Spiritus*, 3) *Apoſtrophus*, 4) *Hyphen*, 5) *Diaſtole*, quibus & 6) addi poſſunt Puncta ſic dicta *Diæretica.* Circa *Accentus* conſideramus 1) eorum *originem* & *antiquitatem*, 2) *numerum*, 3) *ſedem* ſive *locum*, tam ut *poſſibilem*, ubi poni poſſunt, quam ut *poſitivum* ſive *determinatum*, ubi actu ponuntur, & ut *mutabilem*, ubi mutantur & permutantur. Linguam Græcam ſtatim ab ortu ſuo certis quibusdam Accentibus ſive tonis fuiſſe pronunciatam, nemo facile negaverit: cum ea ſit natura omnium aliarum linguarum. Quo vero tempore Accentus illi in ſcribendo per ſigna quædam ſive figuras exprimi primum cœperint, haud ſatis conſtat. Sunt, qui ARISTOTELIS tempore eiusmodi Accentuum ſigna nondum obtinuiſſe volunt, provocantes ad eundem ARISTOTELEM de *Sophiſticis Elenchis* L. I. c. 3. ubi ille refert, diſputari: utrum apud HOMERUM *Iliad.* XXIII. 328. vocula ου legenda ſit οὐ *non*, an οὗ *ubi?* & *Iliad.* XXI. 297. διδομεν ſitne le-

legendum δίδομεν *damus*, an διδόμεν (Jon. pro διδόναι) *dare?* alioquin enim si vocabula illa Accentus expressos habuissent, ejusmodi quæstio inutilis fuisset. HERM. HUGO tamen de *prima scribendi origine* c. 27. Pherecydem, Pythagoræ præceptorem, sexcentis fere annis ante natum Christum, adeoque iam dudum ante Aristotelis tempora, Accentuum signa invenisse, ex DIOGENE LAERTIO repetit. SALMASIUS in *Epist.* ad SARRAVIUM, ISAACUS VOSSIUS de *Poëmatum cantu* p. 18. MONTFAUCON in *Palæograph. Græc.* p. 33. HENNINIUS in *Hellenismo* Ὀρθῳδῷ, §. 24. aliique, eorum inventionem acceptam ferunt ARISTOPHANI, Grammatico Byzantino, bibliothecæ Alexandrinæ, regnante Ptolemæo Philadelpho, præfecto, cujus discipulus ARISTARCHUS, ut & DIONYSIUS *Thrax*, eorundem numerum auxerint eosque illustraverint, aliis posthæc Grammaticis Alexandrinis illorum sequentibus exemplum. Alii denique, ut ELINGIUS in *Histor. ling. Græc.* §. 64. W. BAILLIUS de *Accentibus*, MUNCKERUS in Orat. de *Origine Accentuum*, J. C. ALBRECHT in Diss. de *Constitutione linguæ Græcæ* §. 11. Auctor *Novæ Methodi discendi linguam Gr.* (Gallice conscriptæ) aliique, Accentuum figuras Athenis primum prognatas & introductas volunt circa Ciceronis fere tempora, vel paulo ante, cum Romani primum linguæ Græcæ operam dare inciperent, eoque fine vel filios suos Athenas studiorum causa mitterent, vel Romæ Rhetorum Grammaticorumque Atheniensium opera uterentur. Quia enim Athenienses in pronuncianda lingua Græca delicatuli admodum erant, eos, qui ab Accentuum ratione in pronunciando aberrarent, risui habentes, vero esse simil-

simillimum, ibi loci Accentuum figuras esse inventas. Num vero Accentus, quales hodie existunt, iidem illi sint, quibus veteres Græci voces suas pronunciaverunt, alia est quæstio. Negat id IS. VOSSIUS l. c. negant & alii, ut DRUSIUS de *recta lectione linguæ S.* c. 4. JOH. HEYLIUS in Diss. de *Accentibus Græcorum*, HERM. HARDTIUS in *Studioso Græco* p. 146. &c. Nemo vero hodiernos Accentus Græcos vehementius impugnavit, quam Medicorum biga, HENR. CHR. HENNINIUS, Batavus, in *Hellenismo* Ὀρθωδῷ, edit. an. 1684. & JOH. DAN. MAJOR, Kiloniensis, in libello de *nummis Græce inscriptis*. MAJOR quidem Accentus omnino abrogatos vult: cuius sententiam etiam sequuntur RICH. DAWES in *Miscellan. Critic.* Sect. III. HEDERICUS in *Manuductione ad scientias Philologicas* p. 129. H. C. UHNIUS in Observat. Critico-Philolog. de *vulgaribus Græcorum Accentibus*, & RUMPFFIUS in Diss. de *nimio linguarum studio* §. 31. Accentuum difficultatibus multos a studio linguæ Græcæ deterreri, insuper monens. Græcam adeo linguam non secundum Accentus, sed secundum Syllabarum *Quantitatem* pronunciandam esse, post VOSSIUM voluerunt BENTLEIUS in Præfat. ad suam CALLIMACHI editionem, HARDTIUS l. c. p. 147. aliique: qua de re pluribus disceptatur in dem Brem- und Verdischen Hebopffer P. III. Id quoque HENNINIUS & MAJOR effecerunt, ut multi eruditorum, maxime in Saxonia Inferiore, Accentus in scriptis suis omittant. Quanquam nec defuerunt, qui illis contradixerunt Accentusque hodiernos defenderunt, ut Anonymus Anglus in *Present State of the Republik of letters* an. 1728. qui ad HENNINII argumenta breviter respon-

respondit, prolixiorem eorum discussionem pollicitus, qualem & BARNESIUS contra HENNINIUM in lucem edere promisit; FRANC. WOERGERUS in *Biblioth. Lubec.* Vol. VII. p. 414. seq. qui MAIORIS scriptum, modo memoratum, refutavit; WEDELIUS in *Exercitat. Medico-Philolog.* Cent. II. Decad. 2. STOCKIUS in *Literatore Græco* p. 21. maxime vero JOH. RODOLFFUS WETSTENIUS in *Dissertatione Epistol.* ad MAGLIABECHIUM, qui quidem, Grammaticos invenisse Accentus, non negat, veterem tamen & genuinam pronunciationem Accentibus, successu temporis minime corruptis, insinuare voluisse, asserit, atque HENNINII argumenta pluribus refellit. E contrario C. G. HOFFMANNUS in Commentat. de *linguæ Græcæ modulatione sine Accentibus*, HENNINIUM defendit, quod plures codices mscr. Græc. non accentuati, quam accentuati, supersint: unde colligit, linguam Græcam olim absque Accentibus fuisse pronunciatam.

§. XXIII.

Præcipua vero HENNINII, MAIORIS eorumque sequacium argumenta desumta sunt 1) ex ipsa ratione: quia Græci nati in vernacula Accentuum notis opus non habuerint, cum vetus sit canon: *Quamdiu lingua viva est & vernacula, non habet Accentus;* 2) ex silentio veterum: quia nemo ex veteribus Accentuum scriptorum mentionem faciat; 3) ex testimonio veterum: quia veteres vocabula quædam ob Accentuum scriptorum defectum discernere nescierint, cuius rei exemplum supra ex Aristotele dedimus; 4) ex ratione scribendi per litteras majusculas & βυστροφηδόν, qua præterea omnes

voces una ferie cohærebant, e. g. ΜΑΚΑΡΙΟΣ ΑΝΗΡΟΣΟΥΚΕΠΟΡΕΥΘΗΕΝΒΟΥΛΗ &c. 5) ex ipfis monumentis, ut nummis, gemmis, lapidibus, codicibus mfcr. &c. a quibus, fi modo revera antiqua fint accurateque exarata, omnes omnino abfint Accentus, vel fi quos habeant, antiquitatem tamen eorum ultra 900 vel 1000 annos non affurgere. Addunt 6) Accentus paffim in naturam vocum impingere, immo *Quantitati* Syllabarum penitus adverfari, ita ut nullum carmen iuxta metrum fuum efferri queat, fi Accentuum habenda fit ratio. Exinde HENNINIUS, MAIOR aliique concludunt, Accentus effe inventum pofteritatis feræ, antiquitati plane ignotum, eo fine faltem introductum, 1) ut voces ambiguas discernerent, 2) ut indicarent fingularum vocum pronunciationem, 3) ut fenfum fufpenderent in membra maiora & minora, 4) ut moderarentur cantus harmoniam. Siquis vero ex HENNINIO quærat: a quibus quove tempore primum ufurpari cœperint Accentus? refpondet ille: linguam Græcam, ex quo latius propagaretur, ut nationes peregrinæ veram eius pronunciationem facilius caperent, certis regulis fuiffe alligatam, idque maxime factum Alexandriæ, ubi Grammatici, temporibus Ptolemæi Philopatoris & Epiphanis, difcipulis fuis in re metrica monftrare voluerint, quænam Syllabæ in pronunciando fint intendendæ. Cum IS. VOSSIO tamen l. c. p. 17. Accentus illos ab hodiernis plane fuiffe diverfos, iuxta genuinam quippe pronunciationis & Quantitatis Syllabarum rationem inftitutos; fed fucceffu temporis per varios cafus variisque modis corruptos, in hodiernos tandem degeneraffe

neraſſe, credit. Conf. MORHOFII *Polyh.* T. I. L. IV. c. 6. HAVERKAMPII Sylloge I. *ſcriptorum, qui de linguæ Gr. vera ac recta pronunciatione commentarios reliquerunt*, p. 171. ſeq. MIRUS in *Inſtitut. linguæ Gr.* p. 35. ſeq. *Duellum Grammaticum de Orthophonia & Orthodia Græc.* p. 130. ſeq. &c. De Accentibus N. T. quid ſtatuendum ſit, Sectione ultima diſpiciemus.

§. XXIV.

Vulgo tres numerantur Accentus: *Acutus*, *Gravis* & *Circumflexus.* Sunt tamen Grammatici, ut GUMPRECHT in *Florileg. Grammat. Græc.* p. 81. Auctor *Grammatices Græcæ* Halenſis p. 15. 16. CHR. GRÜNEBERGIUS in *Gram. Græc.* P. I. c. 3. Celeb. HOFFMANNUS de *modulatione linguæ Gr.* p. 45. aliique, qui Accentum *Gravem* plane eliminatum volunt, figuramque ˋ, in fine vocum ſaltem ſcribi proque Accentu *Gravi* haberi ſolitam, potius eſſe *Acutum* inverſum, quem rectius dicas *Acutum finalem*, contendunt. Quam ſententiam nec ſuis rationibus deſtitui putamus. Cur enim *Gravis* tantum in fine exprimatur? & quidni etiam, ſiquis ſit, in medio ſcribatur? quare vox in ultima Syllaba, Accentu *Gravi* notata, alio Accentu caret? qui tamen adeſt, quoties ultima *Gravem* habet non expreſſum, ſed ſubintelligendum. Volunt enim Grammatici, omnes Syllabas, alio Accentu expreſſo deſtitutas, habere *Gravem* ſubintellectum: unde & Accentus *Gravis* vocari ſolet *Syllabicus*, ut contra *Acutus* & *Circumflexus* Accentus *dictionum.* Quia tamen regulæ Grammaticæ vulgo tribus Accentibus accom-

modatæ ſunt, etiam nos ternarium illum numerum in ſequentibus ſequemur.

§. XXV.

Figura Accentuum exacte eorundem uſui reſpondet. *Acutus* enim Syllabarum tonum attollit, ideoque ut virgula pingitur, a ſiniſtra, unde in ſcribendo initium fieri ſolet, ad dextram aſcendens. *Gravis* vero tonum deprimit, a quo ipſo munere *Gravis* dicitur, eaque de cauſa a ſiniſtra verſus dextram deorſum inter ſcribendum deflectitur. *Circumflexus* denique Syllabis tonum protractum tribuit, ſemper Vocalem longam aut ancipitem productam requirens, quare & eius figura longiuſcule protrahitur & inflectitur. Conf. VOSSII *Ariſtarchus* L. II. c. 7. Recte itaque VRBANUS *Bellunenſis* in *Gram. Græc.* p. 236. Accentus cum *viis* comparat, quæ vel acclives ſunt vel declives vel curvæ. Alii eosdem *motibus corporum* aſſimilant, qui vel ſurſum tendunt, ut motus ignis, vel deorſum feruntur, ut motus rerum gravium, vel recta procedunt, ut motus ventorum. Conf. BAILLIUS de *Accentibus* p. 800. ſeq. & CRENIUS ad CANINII *Helleniſmum* p. 152. Cum itaque ſingulæ Syllabæ, neque ob Accentum *Acutum* in pronunciando elevandæ, neque ob *Circumflexum* protrahendæ, neceſſario deprimantur, ſequitur, ut *Gravem* habeant, licet non ſemper expreſſum: nimium enim temporis ſcribendo conſumeretur, vocesque mire variegatæ apparerent, ſi *Gravis* ubique ſcriberetur, ut bene obſervat PHIL. MELANCHTHON in *Gram. Græc.* p. 18. Cur autem in fine vocum in orationis contextu *Acutus* in *Gravem* mutetur vel ſub forma *Gravis* ſcribatur, ideo fit, ut, monente eodem MELANCHTHONE, magis cohæreat pronunciatio,


vel

vel quia Græci eo caſu tonum deprimere, non vero attollere aſſueverunt: ut contra in fine periodorum *Acutus* manet, quia iidem periodos tono terminant elato; ſecus ac nos Germani in fine periodorum facere ſolemus, ubi vocem demittimus. Accentus *Circumflexus* proprie ex *Acuto* & *Gravi* compoſitus videtur, hoc modo: ^̲, quomodo & *Circumflexus* Lat. ſcribitur, e. g. *amârunt*, & ipſe *Circumflexus* Græcorum olim ſic ſcriptus fuiſſe, vel paulo rotundius ⌒̲, ex antiquis codicibus mſcr. colligitur, conf. WETSTENII Diſſ. de *Accentibus Græc.* §. 11. & 24. Quæ obſervatio in re accentuatoria inſignem uſum habet, multisque explicandis Accentuum phœnomenis inſervit, ut infra patebit.


§. XXVI.

De Accentuum *Uſu* modo dictum eſt, eos nimirum facere ad dirigendum tonum, ſive ad moderandam Syllabarum elevationem, depreſſionem & protractionem, non vero ad deſignandam earundem *Quantitatem:* e. g. in verſu illo Hexametro, a PAULO Tit. 1, 12. ex EPIMENIDE adducto, duo vocabula θηρία & γαστέρες Dactylum efficiunt, licet Accentus penultimam utriusque occupet, qui ſaltem indicat, eam tono elato eſſe efferendam, licet *Quantitate* non productam. Duo enim hæc, *Tonum* & *Quantitatem*, bene eſſe diſtinguenda, iam dudum monuerunt SCALIGER de *Cauſis linguæ Lat.* L. II. c. 52. ERASMUS in Dialogo de *pronunciat. ling. Græc. & Lat.* p. 124. BEZA in *Alphabeto Græco* p. 72. ſeq. VOSSIUS in *Ariſtarcho* L. II. c. 10. Auctores *Grammaticæ Græc.* Mar-

chicæ p. 96. ROLLINUS in Tract. *de la maniére d'enſeigner & d'étudier les belles lettres*, L. III. c. 2. ſect. 2. Celeb. J. T. CANZIVS in *Grammatica univerſali* §. 188. aliique. Tota res optime ex Muſica illuſtratur, ut recte obſervat Auctor *Novæ Methodi diſcendi linguam Gr.* (Gallice conſcriptæ) p. 527. ubi aliud eſt tonus *Notarum* Muſicalium, aſcendens vel deſcendens, aliud earundem valor, quo vel longius vel brevius canuntur: ille cum Accentibus convenit, hic cum *Quantitate* Syllabarum. Id ipſum HERM. HARDTIUS voluit in *Arcano Accentuum Græcorum*, ubi oſtendit, qua ratione uſus Accentuum in dirigendo tono per Muſicam repræſentari queat, eum in finem ex diverſis auctoribus pericopis aliquot exempli loco propoſitis. Accentum *Acutum* ille in tertia *Scalæ* Muſicæ linea collocat, *Gravem* lineæ ſecundæ imponit, & *Circumflexo* medium utriusque lineæ aſſignat, hoc modo:




Unicum ſaltem verſiculum ex Matth. I, 1. repetere placet:



Βίβλος γενέσεως Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, ὑιȣ̃ Δαβὶδ, ὑιȣ̃ Ἀβραάμ.

Vnde apparet, HARDTIUM in ea eſſe ſententia, ac ſi Accentus unus tantisper in ſermone regnet, donec alius in ejus locum ſuccedat; ſecus ac Grammaticis vulgo videtur, iuxta quos potius ſic reponendum erat:

Βίβλος



Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ Δαβίδ, υἱοῦ Ἀβραάμ.

Aut ſi per *Notas* Muſicas malimus:



Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ Δαβίδ, υἱοῦ Ἀβραάμ.

§. XXVII.

Accentus Græcorum revera Muſicum quid ſecum ferre, nemo facile negaverit: ſicut & Judæi in Synagogis ſuis Textum V. T. Hebraicum ſecundum Accentus cantillare quaſi ſolent; & Sinenſes, licet Accentibus careant, in ſermocinando magis cantillare, quam loqui videntur, ita ut unum idemque vocabulum pro diverſa vocis modulatione diverſos plane ſignificatus habeat, e. g. *ya* pro diverſo Accentu quinque ſignificat: *ſtuporem, excellentem, anſerem, mutum, dentem; ba* incolis regni Tunquin pro pronunciationis diverſitate ſeptuplicis eſt ſignificationis. Conf. KIRCHERUS in *China Illuſtrata* P. I. c. 3. ANDR. MÜLLERUS ad *Monumentum Sinicum* p. 5. ſeq. TH. SIGFR. BAYERUS in *Grammatica Sin.* L. I. p. 9. ſeq. & NIC. TRIGALTIUS de *pronunciatione linguæ Sinicæ.* Quare IS. VOSSIUS, WETSTENIUS aliique inventionem Accentuum Græcorum & voces *technicas*, in accentuatione uſitatas, ut *τόνος, προσῳδία*, Lat. *accentus* &c. a Muſica repetunt. Cum enim HOMERI carmina antiquitus decantarentur

F 4 pueris-

puerisque in ſcholis exponerentur, Grammaticos Alexandrinos Accentus a Muſicis mutuo ſumſiſſe, ad genuinam vocum modulationem pueris rite explicandam. Conf. RUTGERSII *Var. Lect.* L. II. c. 12. & J. M. FLORINI Exercitat. de *Origine & propagatione linguæ Gr.* p. 12. ſeq. Ex hactenus adductis liquet, Græcorum pronunciationem ſive modulationem juxta Accentus longe differre a Latinorum pronunciatione: vocabula enim Latina, a Græcis petita, non ſecundum Accentus, ſed ſecundum Syllabarum *Quantitatem* efferri ſolent, e. g. *idólum*, non *ídolum*, a Græco εἴδωλον. Quod ipſum inter alia HENNINIUM & C. G. HOFFMANNUM movit ad modulationem Græcam ſecundum Accentus repudiandam aliamque ſubſtituendam, quæ cum Latina magis conveniat, in eo conſiſtens, ut 1) vox monoſyllaba tonum habeat in Vocali ſua; diſſyllaba vero 2) in penultima: ubi tamen quidam caſus excipiuntur; 3) vocabulum triſyllabum ſequatur *Quantitatem* penultimæ, quæ ſi brevis, tonus ſit in antepenultima, ſi vero longa ſit, in hac ipſa penultima; 4) ut in polyſyllabis tonus ſive modulatio ultra antepenultimam non aſſurgat, quæ vero Syllabæ illum antecedant, æquabili tono proferantur.

§. XXVIII.

Supereſt *Sedes* Accentuum: ubi in genere monendum, ſingulas voces unum habere Accentum; exceptis 1) illis, quæ gemino Accentu notantur, ob ſequentem aliquam ex dictionibus, ſic dictis *Encliticis*; quæ Accentum ſuum in præcedens vocabulum reiecit; 2) voculis quibusdam monoſyllabis, quarum, utpote breviſſimarum, in accentua-

tuatione nulla habetur ratio, quippe quæ cum ſequentibus commode uno eodemque Accentu comprehendi efferrique poſſunt: quales ſunt ὁ, ἡ, οἱ, αἱ, οὐ, οὐκ, οὐχ, ὡς, εἰ, ἐν, εἰς, ἐκ, ἐξ; 3) Dictionibus *Encliticis*, quoties Accentum ſuum vel in vocem præcedentem remiſerunt, vel plane amiſerunt, cum præcedente uno Accentu comprehenſæ: qua de re infra pluribus. *Sedes* Accentuum *Poſſibilis* (conf. ſupra §. 22.) eſt vel in Syllaba ultima, vel in penultima, vel in antepenultima. *Acutus* quidem occupat vel *ultimam*, ut in θεός: quale vocabulum *Oxytonon* dicitur; vel *penultimam*, ut λόγος: quale vocabulum *Paroxytonon* vocatur; vel denique *antepenultimam*, ut φιλόσοφος: quale appellatur *Proparoxytonon.* Ulterius enim a fine vocis *Acutus* conſiſtere nequit; ſecus ac in lingua Italica fieri ſolet, ubi Accentus nonnunquam Syllabam a fine quartam occupat, notante CANINIO in *Helleniſmo* p. 154. cum contra Hebræi Accentus *Tonicos* ne quidem in antepenultimis admittant. Græci quidem hodierni Accentum *Acutum* non raro in quarta a fine ponunt, ut ἀναγγάλλιασις *exſultatio*, conf. J. M. LANGII *Philologia Barbaro-Græca* P. I. p. 4. quod tamen barbariei & corruptioni linguæ tribuendum eſſe, recte monet Auctor *Novæ Methodi diſcendi linguam Græcam* p. 525. Accentus *Gravis* in *ultima* ſaltem collocatur, ut τιμὴ: quale vocabulum dicitur *Barytonon.* Id vero intellectum volumus de *Gravi expreſſo*; alioquin enim *Barytonon* vocatur, in ultima neque *Acutum*, neque *Circumflexum*, ſed *Gravem implicitum* habens, qui, ut ſupra iam monuimus, in omnibus Syllabis, *Acuto* & *Circumflexo* non notatis, ſubin-

 telli-

telligitur. Hoc ſenſu Verba in *ω* vocantur *Barytona*, quæ in penultima habent *Acutum*, ut *τύπτω*; quamuis hæc appellatio non probetur JOH. MESLIERO in *Nova Grammatica Græca* (Gallice conſcripta) p. 28. qui ejusmodi Verba mavult vocare *Oxytona*, (dixiſſe debebat *Paroxytona*) quod ſemper in penultima habeant *Acutum*. *Circumflexus* exſtat vel in *ultima*, ut *ποιῶ*, & eiusmodi vocabulum Grammaticis dicitur *Periſpomenon*; vel in *penultima*, ut *βοᾶτε*: quale vocatur *Properiſpomenon*. Quod vero *Circumflexus* nunquam occupet antepenultimam, derivandum eſt ab ejus compoſitione ex *Acuto* & *Gravi*, quorum poſterior in omni Syllaba, aliter non accentuata, ſubintelligitur, ut ſupra monitum §. 24. & 25. e. g. *βοᾶτε* contractum eſt ex *βοάετε*; atqui *Acutus* in quarta Syllaba a fine nunquam conſiſtit: ergo *ποῖεμεν* dici nequit, prout nec dicitur *ποίεομεν*. Dantur quidem voces quædam cum *Circumflexo* in antepenultima, ut *ἧτινος*, *ᾧτινι*, *οἷστισι*, *τοῖσδεσι* & *τοῖσδεσσι*, pro *τοῖσδε* &c. ſed illæ pro duabus habendæ ſunt, quarum poſterior proprie eſt *Enclitica*. Sic enim & vocabula ſeparata accentuantur, e. g. *πᾶς ἐςι*.

§. XXIX.

Quæ vero cujusvis vocabuli Syllaba *poſitive* & *determinate* Tono vel Accentu ſit afficienda, hoc opus, hic labor eſt. Id enim non tam per regulas oſtendi poteſt, quam potius, ſaltem quoad Primitiva, ex uſu & Lexicis diſcendum eſt; e. g. ſi quis quærat: utra Syllaba in *καρπος* Tonum habeat ſive Accentum? id regula ulla definiri nequit; ſed ultima Accentum poſſidet, non alia de cauſa, quam quia veteres Græci ſic pronunciarunt, qua

in

in re omnino acquiescendum est. Quinimo ne ipsis quidem Græcis circa Accentuum positum semper convenisse, observant Grammatici, maxime in Dialectis. Quæ omnia ipsorum consuetudini tribuenda sunt atque usui, *quem penes arbitrium est & ius & norma loquendi*; conf. WETSTENII Diss. Epist. de *Accentibus Græc.* §. 33. & 34. Eodem modo siquis quærat: cur apud Latinos *mi* in *amicus* producatur? nulla alia suppetit ratio, quam quia sic pronunciarunt veteres Latini. Attamen experientia atque usus quasdam observationes subministravit, quibus de compluribus vocabulis, maxime Derivatis, ex terminatione & Forma ipsorum ad eorundem Tonum concluditur: e. g. omnia Adjectiva in κος, ϱος, τος, υς & ης, Verbalia Substantiva in μος, Nomina sic dicta *Comprehensiva* in α & ων, Præpositiones dissyllabæ, Deminutiua in ις, pleraque Nomina *Propria* peregrina &c. Tonum habent in ultima; Nomina in αιος, οιος, ειον, ϰχος &c. ut plurimum in penultima.

§. XXX.

Vbi vero primum constitit, quænam Syllaba Tono afficienda sit, tunc Syllabæ illi Accentum tribuere convenientem, eumque in vocum mutationibus, sicubi opus fuerit, mutare, facillimum erit: qua de re Grammaticorum regulæ tam *generales* quam *speciales* plura præcipiunt: quibus duo præsertim definiuntur, 1) quo Accentu eiusmodi Syllaba, Tono affecta, notanda sit? 2) qua ratione ille Accentus una cum ipsarum vocum Syllabarumque mutationibus & ipse sit mutandus? Fit autem illa Accentuum mutatio diversimode. Aut enim 1) Accen-

Accentus cum Accentu permutatur, e. g. προφήτης, in plur. προφῆται, σῶμα, in Genit. σώματος, &c. aut 2) Accentus ad initium vocis retrahitur, ut τύπτω, Imperf. ἔτυπτον; aut 3) ulterius ad finem vocis protruditur, ut μῆτα, Genit. plur. μησῶν, χεὶρ, Genit. χειρὸς &c. aut 4) variat ex Dialecto, ut ποταμὸς, Aeolice πόταμος; aut 5) differt pro diversa dictionis significatione, ut πονηρὸς *malus*, sed πόνηρος *laboriosus:* quarum vocum, pro diverso Accentu significatione etiam differentium, catalogum olim contexuit CYRILLUS, Grammaticus, vel ut alii volunt, JOHANNES PHILOPONUS, qui Lexicis Græcis maioribus subiungi vulgo solet, ab ERASMO SCHMIDIO seorsim quoque & auctior editus: unde, nec non ex AMMONIO & LESBONACTE, Cl. DAN. PEUCERUS *Commentarium* suum *differentium apud Græcos vocum* contraxit. Denique 6) dictiones *Encliticæ* multas Accentuum mutationes inducunt.

§. XXXI.

Quamvis autem *speciales* de Accentuum mutationibus regulas, passim apud Grammaticos obvias, hic repetere, nostrum non sit, quasdam tamen in unam atque alteram observationes subiicere placet. Tales regulæ sunt e. g. *In polysyllabis, ultima existente longa, acuitur penultima, ultima vero existente brevi, acuitur antepenultima.* Quæritur: cur *Acutus*, ultima existente longa, in antepenultima consistere nequeat, quod tamen fit, ultima existente brevi, ut ἄνθρωπος, non vero ἄνθρωπε, sed ἀνθρώπε? Causa eius est, quod ultima longa, longius a Tono remota, sic aliquam *Quantitatis* suæ partem amissura esset: prout

ſicut eadem de cauſa Hebræis Vocalis longa, longius a Tono, ultra penultimam ſcilicet, diſtans, aliquid de *Quantitate* ſua perdit ideoque plane perit, ut דְּבָרִים pro דְבָרִים; vel quod magis arridet, omnis Diphthongus in Vocales ſimplices, unde componitur, reſolvenda eſt; quod etiam ſtatuendum de Vocalibus longis η & ω, utpote ex εε & οο proprie conflatis. Quod ſi igitur ἀνθρωπου reſolvamus in tetraſyllabum ἀνθρωποΰ, facile patebit, *Acutum* hic non poſſe manere in Syllaba αν: quia ſic poneretur ultra antepenultimam, quod fieri non poſſe, præmonuimus §. 28. Quod vero Attici & Jones *Acutum* in antepenultima, ultima licet exiſtente longa, ponant, ut γενέσεως, ſingulari eorum Dialecto tribuendum videtur. Alia regula Grammaticorum eſt: *Diſſyllaba priorem natura brevem, ſequente brevi, circumflectunt*, ut μοῦσα; & contra: *Longa ante finalem longam, ſi Tonum habeat, acuitur*, ut μούσης. Quæ accentuationis diverſitas ab Accentus *Circumflexi* ex *Acuto* & *Gravi* compoſitione derivanda eſt, q. d. μόῦσα, non vero μεῦσης (ex μόῦσεες): quia alioquin ſequeretur, *Acutum* conſiſtere poſſe in antepenultima, ultima exiſtente longa, contra regulam præcedentem. Docent porro Grammatici, Diphthongos αι & οι finales, in Conſonantem non terminatas, in accentuatione haberi breves, ut μοῦσαι, ἄνθρωποι. Juxta utramque regulam, proxime antecedentem, dicendum potius erat μούσαι, (ut μούσης) ἀνθρώποι (ut ἀνθρώπου). Quod vero αι & οι hoc caſu breves habeantur, nulla ſuppetit ratio, niſi AUG. BISCHOFFII ſententiam, cuius ſupra §. 17. mentio facta eſt, admittamus,

tamus, Jota scilicet casu illo esse consonans, non vocale, adeoque nec *αι* & *οι* Diphthongos: quod etiam HOFFMANNO de *modulatione ling. Græc.* p.38. & D. VENSKIO in *Observat. Philolog.* Pentade IV. probatur.

§. XXXII.

Inter omnes autem voces *Encliticæ* sic dictæ id sibi plane peculiare habent, quod Accentum suum vel plane amittant, vel in præcedentem dictionem remittant. Hæc ut melius intelligantur, observandum est, 1) *Encliticas* illas spectandas esse veluti vocis præcedentis partem & appendicem; immo cum illa unicum quasi constituere vocabulum, saltem cum eadem uno efferri Tono, sicut apud Hebræos voces per lineam *Makkeph* cohærentes; 2) accentuationem quoque juxta hoc suppositum institui. Quod si enim præcedens vocabulum ita comparatum est, ut dictio *Enclitica* cum illo commode uno Tono proferri queat, neque in regulas supra adductas peccetur, tum quoque illud uno tantum Accentu afficitur, ipsa vero dictio *Enclitica* Accentu destituitur, ut *καλόν ἐστι*, *τέχνη τις* &c. ubi *Acutus* antepenultimam quasi occupat; *πᾶν τι* &c. ubi *Circumflexus* quasi in penultima consistit. Cum contra aliis in casibus dictiones *Encliticæ* Accentum suum vel in præcedens vocabulum remittant, quod tum gemino Accentu notatur, ut *ἤκουσά σου*, *εἶπέ ποτε*; vel Accentum suum retineant, ut *ἄρχων ἐστί*; non vero *ἤκουσα σοῦ*, *εἶπε ποτέ*, *ἄρχων ἐστι*· quia sic *Acutus* ultra antepenultimam, *Circumflexus* autem ultra penultimam collocari posse concipiendus foret. Ex eodem illo principio derivandum est, quod *Acutus* in ultima,

tima, alioquin in contextu orationis in *Gravem* mutandus, ſequente dictione *Enclitica*, maneat, ut καλόν τι, non vero καλὸν τι: quia eiusmodi vox *Enclitica* pro parte vocabuli præcedentis habenda eſt, quo reſpectu Accentus *Acutus* in medio quaſi vocis, ubi *Gravis expreſſus* locum non habet, conſiſtere intelligendus eſt. Exceptiones vero a caſibus modo adductis lubentes omittimus, e. g. ut dictiones *Encliticæ* Accentum retineant, quoties Syllaba ultima vocabuli præcedentis *Properiſpomeni* longa eſt *Poſitione*, ut κατῆλιψ μȣ, non κατῆλιψ μȣ &c. Univerſam de *Encliticis*, in ſpecie de ἐςί, doctrinam duabus Tabulis admodum perſpicue exhibet JAC. WELLERVS in *Gram. Græc.* p. 69. 70. conf. quoque JOH. KERSELHUDIUS de *Encliticis dictionibus Græcis*.

§. XXXIII.

Habent denique Grammatici duas regulas de Accentu in *Contractione*, primo intuitu ſibi contrarias; nimirum: Ex *Acuto* & *Gravi* fit *Circumflexus* in *Contractione*, ut βοάετε, contracte βοᾶτε; & contra: Ex *Gravi* & *Acuto* non fit *Circumflexus* in *Contractione*, ut βοαέτω, contr. βοάτω. Quod ut rite intelligatur, repetenda ſunt, quæ ſupra adduximus, *Circumflexum* ex *Acuto* & *Gravi* eſſe contractum, & omnes Syllabas, *Acuto* & *Circumflexo* non notatas, *Gravem* habere implicitum. Quod ſi itaque ponatur, extra *Contractionem* ſcribi βὸάὲτὲ, contractis Vocalibus άὲ, etiam *Acutus*, qui hoc loco præcedit, & *Gravis* contrahitur, fitque exinde βοᾶτε ſive βοᾶτε. Contra ex βὸὰέτὼ, contractis Vocalibus ὰέ, ex *Gravi*, hic

loci priorem occupante locum, & ex *Acuto* fieri *Circumflexus* nequit, sed dicitur βοάτω. Plura de Accentibus, maxime de eorum *Sede*, præter Grammaticos & Auctores supra laudatos, dabunt VIGERUS ab initio Tractatus de *Græcæ dictionis Idiotismis*, RUDGERUS HERMANNIDES in *Orthotonia*, JOH. NENDORFFIUS de *Tonis sive Accentibus*, JOH. VARENNIUS, PHIL. LABBE & ANT. DANGALIERES de *Accentibus Græc.* THEOD. HOFMEISTERUS in Differt. de *Accentibus Græcis* &c.

§. XXXIV.

Alia *Affectio* Syllabarum sunt *Spiritus*: quorum considerandа veniunt 1) *auctoritas* sive *antiquitas*, 2) *figura*, 3) *usus & potestas*, 4) *sedes* & 5) *signum vicarium apud Aeoles*. Ad *auctoritatem* & *antiquitatem Spirituum* quod attinet, illa, æque ac Accentuum, a quibusdam impugnatur, ut ab HENNINIO in *Hellenismo* Ὀρθῳδῷ §. 48. & 57. maxime vero a JOH. DAN. MAJORE de *nummis Græce inscriptis*, qui ad plurimas inscriptiones, illis plane destitutas, provocat. Alii *Spiritum* saltem *Lenem* pro inutili & superfluo habent invento, ideoque in scriptis suis omittere solent. Nemo tamen inficias iverit, *Spiritus* æque ac Accentus, præsertim *Spiritum Asperum*, insignem habere usum, ut recte monet HEDERICUS in *Manuduct. ad scientias Philolog.* p. 126. Unicus certe *Spiritus* sæpe alium plane sensum fundit, e. g. Marc. II, 13. HEINSIUS Adverbium ὀ, *non*, corrigit mutatque in ὃ *cujus*; Hebr. 1, 3. GROTIUS ex ἀυτȣ̃ facit ἁυτȣ̃: quomodo longe alius emergit sensus. *Figura Spirituum* antiquitus plane diversa fuit ab hodierna.

na. Vulgaris enim eſt ſententia, *Spiritum Aſperum* olim expreſſum eſſe per figuram H: quod probant 1) ex ipſa illa figura, ab Hebræorum Spiritu *Cheth*, ח, orta; 2) ex teſtimonio ATHENÆI L. IX. 3) ex nummis & inſcriptionibus antiquis; 4) ex figuræ H uſu arithmetico, quæ in numeris *centum* valet: quia H prima littera fuit in HEKATON, nunc ἑκατὸν, conf. §. 15. 5) ex eo, quod etiam Latini *Spiritum* ſuum H exinde mutuati ſunt. Conf. VOSSII *Ariſtarchus* L. I. c. 16. *Spiritus Lenis* olim non ſcribebatur. Primus SIMONIDES figuram H pro *e* longo adhibuit, quem alii ſecuti, ad exprimendam adſpirationem, H diviſerunt, cuius prius dimidium ⊢ ſive ʟ Spiritum *Aſperum*, poſterius ⊣ ſive ɹ *Lenem* notaret, donec tandem utrumque in figuram rotundam c & ɔ degeneravit.

§. XXXV.

Dicuntur autem ſigna illa *Spiritus*, quia littera, cui imponuntur, cum *ſpiritu* ſive *adſpiratione* quadam efferenda eſt, eaque gradu differente. Figura nimirum c *Spiritum* exprimit *Aſperum*, vel, ut alii vocant, *Denſum*, ɔ vero adſpirationem ſive Spiritum *Lenem*, qui auditur, ſi quis e. g. pronunciet ἐγώ: ibi enim una cum ε lenis quædam adſpiratio percipitur, quæ eſt ipſe ille Spiritus *Lenis*, ſive, ut aliis vocatur, *Tenuis*. Minime itaque, ut vulgo putatur, Spiritus *Lenis* mutus eſt, nec magis otiatur ac א Hebræorum, cum obfirmatione gutturis aliorumque loquelæ inſtrumentorum cumque robore & ἀκμῇ quadam efferendum, monente V. E. LOESCHERO de *Cauſis linguæ Hebr.* p. 242. unde GRETSERUS L. I. p. 10. TSCHONDERUS p. 14. & WELLERUS p. 66. Spiritum *Lenem* olim revera pronuncia-

tum fuisse, docent. Scribuntur autem *Spiritus* illi super solis Vocalibus & una Consonante ϱ: reliquæ enim Consonantes, adspirationis capaces, adspirationis signo expresso non egent, postquam litteræ adspiratæ ϑ, φ, χ, adspirationem habentes inclusam, inventæ sunt; conf. supra §. 5. Neque tamen, nisi solis Vocalibus initialibus imponi solent *Spiritus*. Ubi Consonans ϱ in medio geminata occurrit, priori Spiritus *Lenis*, posteriori *Asper* superimponitur, ut πόῤῥω. Quæritur cur ϱ ratione *Spirituum* Vocales imitetur? Scholiastes Græcus in HEPHÆSTIONEM eius caussam in eo quærit, quod veteres τὸ ϱ Vocalibus annumeraverint. Sed quis hoc credat? BEZA id fieri putat ad emolliendum sonum asperum, *Spiritum* sonum non *asperiorem*, sed saltem *densiorem* & veluti *blæsum* involvere, asserens. Rectius tamen eius ratio ab ipsius litteræ ϱ natura derivatur, quæ omnino adspirationem quandam continet: quare & Hebræorum ר cum litteris *Gutturalibus*, sive, ut quibusdam appellantur, *Spiritalibus*, אהחע, in eo convenit, quod per Dages *Forte* geminari nequeat. Observant Grammatici, veteres Græcos etiam Vocalibus vocum mediis subinde tribuisse *Spiritum*, ut πρᾱὼς, ταὼς &c. (s) haud secus ac Latini suum H non solum ab initio, sed & in medio dictionum usurpant. Vter vero *Spiritus* huic vel illi Vocali initiali assignandus sit, per regulas determinari nequit. Sunt equidem, qui *Spiritu-*

um

(s) Unde Celeb. VENZKIUS in *Observat. Philog.* Pentade IV. colligit, scribendum esse IOHANNES, non, ut vulgo, IOANNES, conf. & LEUSDENI *Philologus Hebræo-Græc.* Diss. X. sect. 9.

um usum distinctius definire tentarunt, sed magis per modum indicis cuiusdam, quam per regulas, ut ANTESIGNANUS ad CLENARDI *Grammaticam Græc.* C. LASCARIS, URBANUS &c. quo etiam pertinet Lexicon de *Spiritibus dictionum*, ex TRYPHONE, CHOEROBOSCO & THEODORITO selectum, & a L. C. VALCKENAER una cum AMMONIO editum.

§. XXXVI.

Cæterum obseruandum est, *Spiritus* 1) interdum variare, e. g. ἁμαλὸς dicitur & ἀμαλὸς; 2) eosdem interdum mutari, ut ἔχω, pro ἕχω, ne duæ adspirationes sese excipiant: unde in Fut. I. ἕξω Spiritus *Asper* redit; 3) Spiritum *Asperum* a Latinis in *s* converti, ut ἕ, Lat. *se*, ἕξ, Lat. *sex*, ἕρπω, Lat. *serpo*, ὗς *sus*, ὑπὲρ *super*, ἅλς *sal*, ἑπτὰ *septem*, &c. alibi vero in *h*, ut ὕμνος, Lat. *hymnus*, vel in *Vau* ex Aeolismo. Carent enim Aeoles Spiritu *Aspero*, cuius loco adhibent vel *Lenem*, dicentes, e. g. ἠμέρα pro ἡμέρα; vel β, ut βρόδον pro ῥόδον, βρίζα pro ῥίζα &c. sæpius tamen litteram quandam, sibi prorsus peculiarem, *Digamma* i. e. *duplex Gamma*, dictam, quoad figuram quippe ex gemino *Gamma* compositam, ut Latinorum F, (t) cuius pronunciationem etiam *Digamma* illud sequitur, e. g. Fελένη, *felene*; quamvis alii idem instar Latinorum *v* pronunciare malint: unde & *Vav* vocari solitum, MARIUS VICTORINUS *Art. Gram.* L. I. & PRISCIANUS L. I. ex VARRONE & DIDYMO testantur. LIPSIUS tamen

(t) GRETSERUS tamen in *Gram. Græc.* L. III. p. 248. seq. & LIPSIUS in Dialogo *de pronunciatione linguæ Lat.* c. 12. Ⅎ scribunt, & SCALIGER in *Animadvers.* ad EUSEBII *Chronicon* p. 105. ex Phœnicum Vav deflexum illud putat.

men in Dialogo de *pronunciatione linguæ Lat.* c. 12. pronunciationem gemini *v* ſive Germanici *w* illi tribuit. Uſurparunt autem Aeoles *Digamma* illud loco *Spiritus* non ſolum *Aſperi*, ſed etiam *Lenis*, ut Ϝοῖνος pro οἶνος; idque non tantum ab initio, ſed & in medio dictionum, ut δάϜων: unde Latini in multis vocabulis, a Græcis mutuo acceptis, *v* fecerunt, e. g. in ἑςία, Aeolice Ϝεςία, Lat. *Veſta*; ἐμῶ, Aeol. Ϝεμῶ, Lat. *vomo*; ἴς, Aeol. Ϝἴς, Lat. *vis*; αἰών, Aeol. αἰϜών, Lat. *ævum*; ὠὸν, Aeol. ὠϜὸν, Lat. *ovum*: ſic ὄϊς *ovis*, Ἄορνος *Avernus*, ἦρ *ver*, οἶνος *vinum*, ἐσθὴς *veſtis*, Germ. Weſte, εἴδω vel εἰδέω *video*, ἑσπέρα *veſpera* &c. Quæ affinitas utriusque linguæ vicinitati utriusque gentis tribuenda videtur: conſtat enim, ex *Aeolide* coloniam quandam in Italiam Inferiorem, ubi hodie *Neapolis* eſt & *Sicilia*, olim conceſſiſſe; conf. G. F. THRYLLITII Diſſ. *de pronunciatione Latina ex Aeolica explicanda*, de *Digamma* autem CRENIUS in *Muſeo Philolog.* P. I. p. 79. ſeq. M. MAITTAIRE de *Dialectis Græc.* p. 106. ſeq. & NIC. AGARDUS in Diſſ. de *Digamma*.

§. XXXVII.

Inter *Accidentia* & *Affectiones* Syllabarum etiam refertur *Apoſtrophus*: quem HENNINIUS in *Hellenismo* Ὀρθωδῷ §. 40. & JOH. DAN. MAJOR de *nummis Græce inſcriptis* novitatis ideo arguunt, quia in multis inſcriptionibus non comparet. HEDERICUS in *Manuduct. ad ſcientias Philologicas* p. 127. in ſcriptura majuscula recte omitti eum, in minuſcula vero ob inſignem ipſius uſum merito retineri, iudicat. Vocatur autem hæc Syllabarum *Affectio* ἀπόςροφος, i. e. *averſus*, *retroflexus*, ſcil. προσωδία, (*accentus* ſive *pronunciatio*,) quia vocalem finalem quaſi *retroflectit* & cohibet, quominus pronuncietur. Alii nominis

minis

minis rationem quærunt in figura eius *reflexa*, quæ c inversum sive Spiritum *Lenem* referat. Adhibetur hoc *Apostrophi* signum vel in *Apocope* Vocalis ultimæ, ut παντ' ἔλεγον; vel in *Aphæresi* Vocalis initialis, ut ἀρετή 'στι; (quod fieri solet, quoties antecedens Vocalis longa est adeoque commode abiici nequit,) vel ubi *Apocope* & *Aphæresis* concurrit, ut χρῆ 'σαι, pro χρεῖα ἔσαι; vel in *Synalœphe*, qua duo vocabula in unum contrahuntur, ut τοὔνομα, pro τὸ ὄνομα: quo casu tamen *Apostrophi* signum haud raro omittitur; in vocibus nimirum valde notis, observante MICH. NEANDRO in *Erotematibus linguæ Græc.* p. 16. ut in διὸ pro δι' ὅ, τουτέστι pro τοῦτ' ἔστι &c. Huc etiam quidam referunt vocabula cum Præpositionibus composita, ubi ultima Præpositionis Vocalis ante aliam Vocalem abiicitur, nec tamen nota *Apostrophi* exprimitur, ut ἀπάγω pro ἀποάγω. Abiiciuntur autem per *Apostrophum* regulariter quidem Vocales breves vel ancipites correptæ, quoties sequens dictio itidem a Vocali incipit, idque ad evitandum Vocalium concursum. Nec tamen semper. Iota enim Dativi & Præpositionis ἀμφὶ raro, idem Iota in περὶ & ο in πρὸ rarissime abiiciuntur; negligitur quoque *Apostrophus*, si exoriretur sermonis vel κακοφωνία vel obscuritas; immo in N. T. Græco ejus usum non esse frequentiorem, quam ejusdem intermissionem, observant LEUSDENIUS in *Philologo Hebræo-Græco* Diss. XI. sect. 8. & CASP. WYSSIUS in *Dialectologia S.* p. 267. Illud Dialecto Atticorum, qui a concursu Vocalium abhorreant, hoc Dialecto tribuunt Jonum, quibus Vocalium concursus non displiceat: quod tamen negat Doctiss. C. S. GEORGIUS in *Hierocritico N. T.* p. 142. seq. Cæterum si *Apostrophum* Vocalis sequitur ad-

ſpirata, tunc litteræ *Mutæ Tenues* in *Adſpiratas* transeunt, ut ἀφ' οὗ pro ἀπ' οὗ, καθ' οὗ pro κατ' οὗ; νύχθ' ὅλην pro νύκτ' ὅλην &c.

§. XXXVIII.

Reſtant duo Syllabarum *Accidentia*, *Hyphen* & *Diaſtole*. *Hyphen* quidem, cuius nota eſt ‿ vel ͜, duas voces pro una eſſe habendas indicat, ut πασι‿μελοῦσα: adeoque convenit cum Germanorum linea, quæ inter duo Subſtantiva transverſim interiacet, eaque unam rem exprimere unamque quaſi vocem conſtituere, ſubinnuit, ut Haus-Vater. Sunt, qui *Hyphen* illud cum linea *Makkeph* Hebræorum comparant, quæ & ipſa duo vocabula in unum coniungit. Latinis dicitur *Subunio*, cuius apud illos exempla ſunt: *ante-malorum*, apud VIRGILIUM; heri *ſemper-lenitas*, apud TERENTIUM, &c. Eius contrarium *Diaſtole*, (i. e. *diſtinctio* ſive *interpunctio*) alias quoque *Hypodiaſtole*, (h. e. *ſubdiſtinctio*,) ſollicite diſtinguenda eſt a figura *Commatis*, haud plane diſſimili. Differunt autem eo, quod *Comma* totam conſtructionem, *Diaſtole* quædam ſaltem vocabula compoſita ab aliis ſimilibus diſtinguat, ut ὅ,τι (ex Articulo ὁ & Pronom. τι,) ad diſtinctionem a Coniunctione ὅτι; τό,τε (ex Articulo τὸ & Coniunct. τε,) ut dignoſcatur ab Adverbio τότε &c. conf. CRUSII *Grammat. Græc.* p. 15. Syllabarum *Accidentibus* quidam ſuperaddunt puncta, ſic dicta *Diæretica*, quæ Vocali, per *Diæreſin* a præcedente alia ſeparandæ, imponuntur, ne Diphthongum conficere videantur, ut πάϊς pro παῖς &c.

SECTIO

SECTIO III.

DE

ETYMOLOGIA,

SPECIATIM

DE

PARTIBUS ORATIONIS DECLINABILIBUS LINGUÆ GRÆCÆ.

SECTIO III.

DE ETYMOLOGIA.

CAPUT I.

DE PARTIBUS ORATIONIS DECLINABILIBUS IN GENERE.

§. I.

Ex Syllabis integræ fiunt dictiones: quæ vel seorsim, vel in contextu cum aliis, quatenus conjunctim integram orationem constituunt, considerari possunt. Quod si voces seorsim, ut secundum ipsarum originem, naturam sive qualitatem atque flexionem, consideramus, ea Grammatices pars *Etymologia* vocatur; si vero in contextu cum aliis, quatenus conjunctim integram conficiunt orationem, hæc appellatur *Syntaxis*. Ejusmodi itaque vocabula, quæ cum aliis conjuncta, integram orationem constituere possunt, vel brevius, *Partes Orationis*, Græcis numero sunt octo: *Articulus*, *Nomen*, *Pronomen*, *Verbum*, *Participium*, *Adverbium*, *Præpositio* & *Conjunctio*. *Interjectiones* enim apud Græcos *Adverbiorum* classe comprehenduntur; cum contra eædem Latinis peculiarem *Orationis Partem* constituant; idque haud immerito: quia *Interjectiones*, dicente SERVIO, Verbis adjungi nequeunt,

 ut

ut *Adverbia*, quæ ipſa ſuam exinde denominationem acceperunt. Quare Grammatici nonnulli, ut RHENIUS in *Grammat. Græc.* P. I. p. 3. STOCKIUS in *Litteratore Græc.* p. 57. &c. octo *Partes Orationis* apud Græcos computare malunt, conf. Cl. FISCHERI *Animadverſ.* ad WELLERI *Gram. Græc.* p. 109. cum contra veteres Græci, referente DIONYSIO *Halicarnaſſenſe*, cum Hebræis aliisque gentibus orientalibus tres ſaltem, *Nomen*, *Verbum* & *Particulam*, numeraverint. Ex illis quinque priores, *Articulus* ſcil. *Nomen*, *Pronomen*, *Verbum* & *Participium*, *Flexibiles* dicuntur, reliquæ *Inflexibiles.* Illæ vel *Declinabiles* ſunt, ut *Articulus*, *Nomen*, *Pronomen* & *Participium;* vel *Conjugabilis*, ut *Verbum.* *Declinatio* dicitur vocum flexio vel mutatio per Caſus & Numeros: unde primo ſtatim loco agendum eſt de *Caſibus* & *Numeris.*

§. II.

Vulgaris eſt ſententia, Græcis quinque ſaltem eſſe *Caſus: Nominativum*, *Genitivum*, *Dativum*, *Accuſativum* & *Vocativum*, ut adeo *Ablativo* omnino careant; unde verſus Germanicus:

Mich dünket, Griechenland hat keinen Dieb erkieſt,
Dieweil in ſeiner Sprach kein Ablativus iſt.

Fuerunt tamen quovis tempore Grammatici, qui, Græcis *Ablativum* abjudicari non poſſe, putavere: e quibus nominamus FRISCHLINUM in *Demonſtratione, Græcos non carere Ablativo*, edit. Argent. an. 1586. ERASM. SCHMIDIUM in *Notis* ad Matth. 5, 39. SEBAST. SCHMIDIUM in Præfat. ad *Harmon. Græc. & Lat. Grammat.* RHENIUM in

in Præfat. ad Part. I. *Gram. Græc.* SANCTIUM in *Minerva* L. I. c. 6. SCIOPPIUM in *Grammatica Philosoph.* p. 186. STOCKIUM l. c. p. 64. J. E. OSTERMANNUM in *Positionibus Philolog.* Diss. I. §. 14. PEISKERUM Tabula XI. & XXVII. *Grammaticæ Wellerianæ*, AUG. BISCHOFFIUM in *Cadmo* p. 198. seq. VERWEY in *Nova Via docendi Græca* p. 17. LAMBERTUM BOS in *Ellipsibus Græc.* p. 318. seq. (edit. *Schoetgen.*) MIRUM in *Institut. Ling. Græc.* p. 72. seq. Auctorem *Novæ Methodi discendi linguam Græc.* (Gallice conscriptæ) L. VIII. c. 2. LIPENIUM in *Epist.* ad JACOBUM de MELLE, inserta *Bibliothecæ Lubec.* Vol. II. p. 250. seq. LAUR. REINHARDUM in *Histor. ling. Græc.* p. 78. WOLFFIUM in *Curis Crit.* ad Act. 6, 10. IMMAN. WEBERUM in *Dissert.* ad Hebr. 13, 16. §. 5. &c. conf. VOSSIUS de *Analogia* L. I. c. 45. & HENR. FRISIUS in *Var. Observat.* L. II. p. 95. Argumenta illorum pro Græcorum *Ablativo*, quem Ἀποκομιστικὴν vocant, hæc sunt: I) Omnes linguæ, etiam Hebraica, Ablativum habent: quidni etiam Græca, lingua omnium copiosissima? Illum enim Casuum numerum vel ex ipsa linguarum natura fluere, contendit SANCTIUS. II) Multi Grammatici veteres Latini sic sentiunt; immo PRISCIANUS, eumque secuti, PETR. RAMUS atque HENRICUS STEPHANUS, diserte asserunt, ipsos Latinos Ablativum suum mutuo sumsisse videri ab antiquissimis Grammaticis Græcis, qui vocabula οὐρανόθεν, ἀγρόθεν &c. *Ablativos* dixerunt, unde & Præpositionem assumant, ut ἐξ οὐρανόθεν; & QUINTILIANUS de *Institut. Orat.* L. I. c. 4. *Grammaticus quærat*, inquit, *sitne apud Græcos vis quædam sexti Casus*

&

& apud nos (Latinos) *ſeptimi quoque? nam cum dico:* haſta percuſſi, *non utor* Ablativi *natura, nec, ſi idem Græce dicam*, Dativi, τῷ δορί. III) A diſcrimine terminationum non concludendum eſt ad numerum Caſuum: non enim ſequitur, quia quinque tantum ſunt Caſuum terminationes, ergo totidem ſaltem ſunt Caſus; alioquin Dualis duos tantum Caſus haberet. IV) In omnibus linguis Dativus ſoli *acquiſitioni* ac *fini* inſervit: quare per Dativum *inſtrumentum*, *pretium*, *materia*, *locus* &c. ſignificari nequeunt. Unde ſic argumentatur FRISCHLINUS: *Qui Caſus ſignificat* inſtrumentum, modum *aut* cauſam, *is non eſt Dativus, ſed Ablativus.* V) Si Græci Ablativo carent, unde Latini e. g. dicunt *Penelope*, *paraſceve*, *Grammatice* &c. in Ablativo? num Latinis Præpoſitiones ſunt, Dativum admittentes? VI) Apud CICERONEM plurima occurrunt exempla Adiectivorum Ablativi Caſus & Præpoſitionum Ablativum regentium, cum Subſtantivis Græcis junctarum: ergo Subſtantiva illa Græca & ipſa ſunt Caſus Ablativi. Talia ſunt e. g. in *Epiſtol. Famil.* L. XVI. *Non enim ſejunctus eſt a Philologia & quotidiana* συζητήσει &c. maxime in *Epiſtolis ad Atticum*, ubi leguntur: *qua* τοποθεσίᾳ, *de* Ἀμαλθείᾳ, *in* πολιτείᾳ, ζηλοτυπίᾳ *meâ*, *in majore* ἀπορίᾳ &c. VII) Occurrunt apud auctores Græcos exempla, quæ aliter, quam per Ablativum, commode explicari nequeunt. VIII) Si Ablativus etiam Græcis tribuitur, tunc lingua Græca cum Latina egregie concordat, ut Auctor *Novæ Methodi diſcendi linguam Græc.* in Syntaxi oſtendit: unde AUG. BISCHOFFIUS l. c. *Propter conformitatem*, inquit, *linguæ Latinæ & quia Latina*

tina primum discitur, deinde Græca, in gratiam tironum Ablativum adjiciendum putamus.

§. III.

Quantumcunque vero speciosa videantur hæc argumenta, multa tamen in contrarium excipi possunt. Ut ad I) Falsum est, omnes linguas habere Ablativum: in Hebraica enim aliisque linguis orientalibus proprie loquendo Casus plane non dantur; Germanica, Græcæ tantopere cognata, (conf. Sect. I. §. 6.) Ablativo similiter caret: ubi enim e. g. dicitur: von, mit, neben, in, aus dem Buch, revera dem Buch Dativus est, a Præpositionibus illis rectus. Eodem modo se habent aliæ linguæ, ut Gallica &c. Nemo vero illam de *Ablativo Græcorum* sententiam felicius evertit, quam PERIZONIUS ad SANCTII *Minervam* L. I. c. 6. unde præcipua repetere placet. Respondet autem ille ad II) Veteribus Grammaticis Latinis istis alii ex VOSSIO de *Analogia* L. I. c. 45. opponi possunt; exempla οὐρανόθεν, ἀγρόθεν &c. dicere *Ablativos*, æque ineptum est, ac quod iidem Grammatici linguæ Latinæ Casum quendam septimum vel octavum obtrudunt: quibus adeo non magis credendum in alienæ linguæ rationibus, quam in suæ. Ad III) Eadem ratione, tria dari Genera Adiectivorum, negari posset, quia triplex eiusdem Adiectivi terminatio raro reperitur: sufficit ergo, quinque, non plures, Casuum Græcorum terminationes in aliquot saltem vocabulis reperiri, unde concludi possit, totidem quoque esse Casus. Ad IV) Latini non semper Ablativum adhibuere ad *modum*, *instrumentum*, *causam*, *pretium* &c. per se denotandum, sed in omni significatione Præpositionibus, quæ

non

non requirunt Casum quartum, junxerunt, sive expressis sive intellectis. Græci vero Præpositionum & sexti Casus penes Latinos usum divisum habent in secundum & tertium, aliquando & in quartum Casum. Sic Latinis solemne est, constructionem absolutam ponere in Ablativo, e. g. *Jesu nato:* atqui eandem Græci per Genitivum efferunt, Ἰησοῦ γεννηθέντος. Ad V) Latini vocabula Græca in linguæ suæ formam & constructionem translaturi, necessario illis dederunt Casus, qui in lingua sua erant usitati, & proinde etiam illum, qui in ea destinatus erat Præpositionibus seu expressis seu suppressis. Neque vero ineptius cogitatu est, Præpositiones ἐν, σὺν &c. in lingua Græca iungi non Ablativo, sed Dativo, quam alias iungi istic etiam Genitivo, neque *generationem* neque *possessionem* significantes, veluti ἀντὶ, διὰ, μετὰ, περὶ, πρὸ &c. Sic Accusativus proprie id notat, *in quod actio tendit*, qui tamen Præpositiones recipit: quidni ergo & Dativus? Quod vero Latini Dativo suo Præpositiones non præmittunt, id linguæ Græcæ minime est applicandum; nam iidem Præpositiones cum Genitivis nunquam construunt: unde tamen nemo inferet, nec Græcos idem facere. Ad VI) Exempla ex CICERONE adducta, ut sint Ablativi Græci, necesse non est. Probe enim tenendum, Latinos Ablativum ex suo & Græcorum Dativo formasse, priscisque temporibus, cum utraque lingua magis consonaret, plane caruisse Ablativo, ejus loco cum Græcis adhibentes Dativum, qui æque ac apud Græcos a Præpositionibus regebatur: unde successu temporis ob duplicem usum, (nimirum vel *cum* vel *sine* Præpositionibus,) duo

Casus

Casus efformati sunt: sicut & postea eadem de causa quidam Grammatici Latinorum ex Ablativo geminum Casum effingere voluerunt. Inde accidit, ut Dativus & Ablativus subinde, immo in Plurali semper, sint similes. Ad VII) Exempla apud auctores Græcos aliter construenda sunt, aliterque explicanda. Ad VIII) Magna utique inter Græcam & Latinam linguam intercedit cognatio; quæ vero non a tempore illo, quo Latina a Græca longius discessit, sed quando utriusque, etiam, uti dictum, quoad Casuum numerum, maior fuit affinitas, repetenda est. Hactenus PERIZONIUS, cui & nos lubentes accedimus, neque entia citra necessitatem multiplicanda esse, putamus, secundum illud: *Quod fieri potest per pauca, non debet fieri per plura.* Quem enim usum Græcorum ille Ablativus, etiamsi certissime demonstratus, nobis præstaret?

§. IV.

Habet id Græca lingua præ omnibus aliis occidentalibus sibi plane peculiare, quod in ea etiam Numerus sit *Dualis.* Latinorum quidem Numeralia *duo* & *ambo* pro *Dualibus* quidam habuerunt, quod tamen ab aliis rectius negatur; alioquin enim A. GELLIUS in *Noct. Attic.* L. I. c. 16. non dixisset: *Sicut una* χιλιὰς & *duo* χιλιάδες; sed *duo* χιλιάδε, in *Duali.* Num vero eiusmodi *Dualis* Græcis absolute opus fuerit? alia est quæstio. Non magis eos necesse habuisse *Dualem*, quam *Tertialem* & *Quartalem*, sententia fuit SCALIGERI, contra quem vid. VOSSIUS de *Analogia* L. I. c. 4. Aeoles saltem *Dualem*, ut superfluum, omiserunt, sicut & Græci hodierni *Dualem* nesciunt. Quando vero

DIO-

DIOMEDES, Grammaticus Latinus, omnes Græcos antiquos caruiſſe *Duali*, tradit, huic contrariari videtur, quod in ipſis ſcriptis Græcorum vetuſtioribus, e. g. in HOMERO, *Dualis* frequentior occurrat: unde AUG. BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 194. Græcos hac in re idioma linguæ Hebraicæ (potius Phœniciæ) aſſervaſſe, colligit. Certe *Dualis* Græcorum in Genitivo & Dativo eodem modo terminatur, quo apud Chaldæos.

§. V.

Ad uſum *Dualis* quod attinet, ille apud auctores Proſaicos rarior occurrit, apud Poëtas longe frequentior. Quæſtio hic ſubnaſcitur: cur idem in N. T. Græco plane non legatur? Reſpondet LEUSDENIUS in *Philologo Hebræo-Græco* Diſſert. X. ſect. 1. quia ſcriptores ſacri N. T. natione Syri fuerunt, quibus cum Numerus *Dualis* ſit ignotus, propterea illum Numerum in N. T. non expreſſerunt: Novum enim Teſtamentum Græcum conſtat quidem litteris Græcis, ſed phraſes eius fere ſunt Syriacæ. Vulgo tamen δύο, Attice δύω, excipitur proque *Duali* habetur. Cum vero hæc vox alicubi ut indeclinabilis uſurpetur, e. g. Act. 1, 24. æque ac πέντε, ἑπτά, ὀκτώ, &c. cumque Genitivum formet δυῶν & Dativum δυσί, non aliter atque alia Pluralia, quidam haud abs re exinde concludunt, δύο vel δύω non eſſe, ſaltem a ſcriptoribus N. T. non haberi Numeri *Dualis*. Sic ergo ſtatuendum: δύο vel δύω per ſe eſt indeclinabile peculiariſque terminationis, ut alia Numeralia *Indeclinabilia*, e. g. ὀκτώ; δυῶν vero & δυσί formantur tanquam a Nominat. δύες. Addunt & ex Epheſ. 4, 25. ἀλλήλω, ut quædam exemplaria habent, cum

cum in aliis legatur ἀλλήλοιν, in plurimis vero ἀλλήλων, (in plur.) ut adeo lectio dubia fit, ad exceptionem hic ftabiliendam minime fufficiens. Adhibetur autem *Dualis* apud Græcos, æque ac apud Hebræos, de *rebus*, *natura*, *arte* vel *cogitatione geminis*; neque tamen neceffario: quia etiam Pluralis de *re gemina* ufurpari folet, & Poëtæ fæpius in eadem periodo, quoties de *duobus* eft fermo, utroque Numero promifcue utuntur. Ubi vero de *pluribus* agitur, *Dualis* interfpergi nequit; quamvis Poëtis & fic fubinde *Dualis* pro *Plurali* veniat, notante CANINIO in *Hellenifmo* p. 169. Cum itaque *Dualis* extra Poëtas rarior occurrat, ideo, ut VERWEY, GUMPRECHT, Auctor *Novæ Methodi difcendi linguam Græc.* aliique monent, a tironibus, qui ad Poëtarum lectionem non adfpirant, ad facilitandum linguæ Græc. ftudium, merito prætermittitur. Siquis tamen dehinc ad Poëtas pergere cupit, *Dualem* facili negotio ex Grammatica poftliminio addidicerit.

CAPUT II.

DE ARTICVLO.

§. VI.

Prima *Partium Orationis Declinabilium* eft *Articulus*, isque duplex: *Præpofitivus*, ὁ, ἡ, τό, qui vocibus præponitur, & *Poftpofitivus* five *Subjunctivus*, ὅς, ἥ, ὅ, qui poftponitur five fubiungitur. Utriusque forma in eo differt, quod *Poft-*

H *pofi-*

positivus præter Accentum etiam Spiritu notetur, *Præpositivo* vero alteruter deficiat, cui pro Spiritu in Neutro & Casibus *Obliquis* τ tribuitur. Uterque instar Nominum declinatur, atque Adiectivorum Motionem sive variationem per tria Genera sequitur. Vulgo putant, *Articulos* carere Vocativo, eiusque loco in *Præpositivo* adhiberi Adverbium vocandi ὦ, quod SEB. MEIERUS in *Compendio Grammat. Græc.* p. 13. ipsum *Præpositivi* esse Vocativum, perperam credit. Sunt tamen, qui *Articulo Præpositivo* Vocativum abiudicari non posse, licet Nominativo similem, iudicant, ut ὁ βασιλεὺς, *o rex!* Matth. 27, 29. *τὰ τέκνα, o filii!* Ephes. 6, 1. Sentiunt ita, post APOLLONIUM DYSCOLUM, ERASMUS SCHMIDIUS in *Notis* ad Matth. 6, 9. STOCKIUS in *Litteratore Græco* p. 57. JOH. SAGITTARIUS in *Decade Miscell. Positionum Philolog.* p. 7. PEISKERUS Tab. XXVII. *Grammatices Wellerianæ*, &c. sed conf. Doctiss. FISCHERI *Animadvers.* ad WELLERI *Grammat.* p. 110. Quidam *Articulum Postpositivum* rectius ad Pronomina referri volunt, quia Pronominis *Relativi* vicem sustinet; CRUSIO saltem in *Gram. Græc.* p. 16. *Articulus Relativus* commode vocari videtur. Nemo tamen *Articulum* illum diserte inter Pronomina retulit, præter Auctorem *Novæ Methodi discendi linguam Græcam*, quem deinde secuti sunt VERWEY, Auctores *Grammaticæ Græc.* Marchicæ & MIRUS in *Institut. ling. Græc.* p 66. seq.

§. VII.

Usus Articuli *Præpositivi* omnino varius est. Adhibetur enim 1) ut Germanorum *Articulus*, der, die,

die, das; 2) loco Pronominis *Demonstrativi*, maxime apud Poëtas, & sic quoque Act. 17, 28. rarius apud alios auctores, & fere tantum in *Distributione*, mediantibus μὲν & δὲ; 3) loco Articuli *Postpositivi* ὅς; 4) loco Pronominis *Interrogativi* τίς, sed saltem in Genitivo & Dativo sing. ut τ8 pro τίνος, *cujus?* τῷ pro τίνι, *cui?* 5) loco Pronominis *Indefiniti* τὶς, ut εἰ τῷ pro εἴτινι, *si cui.* Dicam brevius: usurpatur ille *Articulus* eodem modo, quo *Articulus* Hebræorum ה, unde & originem traxit; ut contra *Postpositivus* ὅς natus est ex Hebr. אֲשֶׁר vel potius ex *Præfixo* שׁ. Adhibetur & hic Articulus *Postpositivus* a Poëtis loco Pronominis *Demonstrativi*; alibi etiam pro Articulo *Præpositivo*, ut in *Distributione*, e. g. Rom. 14, 2. 5. 1 Cor. 7, 7. c. 11, 21. &c. Sed ὅς, vicem Pronominis *Reciproci* vel *Possessivi* sustinens, non est *Articulus*, ut quidam existimant, sed potius *Pronomen*, per Syncopen dictum pro ἑός, prout & αὑτ8 dicitur pro ἑαυτ8, &c.

CAPVT III.

DE
NOMINE.

§. VIII.

Articulum excipit *Nomen;* ubi consideranda veniunt 1) eius *Declinatio*, 2) *Genus*, 3) *Qualitas* & 4) *Notatio*. Vulgaris eaque vetus est sententia, Græcis decem esse *Declinationes*, quinque sc. *Simplices* totidemque *Contra-*

 ctas;

ctas; quinimo RHENIUS in *Grammat. Græc.* P. I. sextam addit *Contractam.* Quatuor priores *Declinationum Simplicium* vocari solent *Parisyllabicæ*, quia in Dialecto *Communi* earundem Casus *Obliqui* Syllabis non augentur; reliquæ *Imparisyllabicæ.* De minuendo tamen isto *Declinationum* numero, veluti superfluo, primi cogitarunt LAUR. RHODOMANNUS in *Tabulis Etymolog. Græc.* & G. I. VOSSIUS de *Analogia* L. II. c. 1. & in *notis* ad CLENARDI *Grammaticam Græc.* p. 10. id quod tandem effectum dedit JAC. WELLERUS in *Gramm. Græc.* quem tantum non omnes Grammatici recentiores sequi solent, tres saltem numerantes *Declinationes*, ita ut ex prima & secunda veteriorum *Declinatione* fiat una, eaque prima, ex tertia & quarta secunda, ex quinta denique & ex omnibus *Contractis* tertia: qua eadem methodo & tredecim veterum *Coniugationes* ad pauciores redigunt. Rationes, quibus WELLERUS aliique moti, *Declinationum* ac *Coniugationum* numerum minuere instituerunt, adductas videas in Præfat. *Grammatices Græcæ Wellerianæ*, suntque illæ sequentes: I) Quæcunque affectio omnibus decem vel undecim *Declinationibus*, Verbo, quin & reliquis *Orationis Partibus* est communis, illa generaliter est tractanda, nec novam & peculiarem anomaliam parere poterit; atqui fuga concursus Vocalium, unde Declinationes *Contractæ* & Verba *Circumflexa* oriuntur, talis est affectio: ergo &c. II) Ubicunque nulla est differentia terminationum, ibi nova *Declinatio* vel *Coniugatio* fingi non debet; atqui in quinque Declinationibus *Contractis* & Verbis *Circumflexis* nova differentia terminationum a *Simplicium* & *Baryto-*

rytonorum diverſa non datur: ergo &c. III) Si *Contractio* peculiares *Declinationes* & *Coniugationes* parit, utique, quot erunt contrahendi modi, tot erunt *Declinationes*; atqui non quinque, ſed duodecim & plures dantur contrahendi modi: ergo non decem, ſed viginti & duæ, annumeratis *Simplicibus*, quin plures *Declinationes* erunt ſtatuendæ, quod abſurdum eſt.

§. IX.

Primam vero & ſecundam *Declinationem* in unam claſſem eſſe coniungendas, idem WELLERUS l. c. ex eo probat, quod I) Latini illas terminationes quatuor ſub unam revocarint *Declinationem*; II) quod uno tantum in Caſu varient; ob unius vero Caſus diverſam terminationem non fingendæ ſint *Declinationes*; III) quod & quinta *Declinatio* ſic eſſet duplicanda, cum quorundam in Accuſativo & Vocativo, nec non Genitivo, ſatis nobilis terminationis diverſitas detur; IV) quod nec Latini terminationes has ſub unum commune domicilium referre potuiſſent: differunt enim & hic nonnulla terminatione; V) quod ſic eadem *Declinatio* prima ob eiusdem Caſus diverſam terminationem in duas eſſet divellenda: Nomina enim in ᾶς Genitivum non in ȣ, ſed in ᾶ, more Dorico, formant; VI) quod eædem regulæ in prima & ſecunda *Declinatione*, non ſine tautologia, forent proponendæ. Quartam porro *Declinationem* idem WELLERUS ad ſecundam reducit: quia plane Attica ſit & ex tertia Grammaticorum exorta, modo ſubſtruatur, quod Atticis in aliis pluribus eſt commune. Longius procedit AUG. BISCHOFFIUS in *Cadmo* §. 105. qui fere iisdem WELLERI ar-

gumentis nixus, duas saltem *Declinationes* statuit. Supponit enim, totidem esse *Declinationes*, quot peculiares Nominis flexiones: cum itaque primæ & secundæ WELLERI *Declinationis* flexiones mutuo conveniant, sequi ergo, ut ad unam reducendæ sint *Declinationem*. Quo pacto vero utriusque *Declinationis* Casus conveniant, ostendit more adeo coacto, ut pari ratione Latinorum prima & secunda *Declinatio* in unam transfundi possent. HERMANNUS HARDTIUS in *Studioso Græco* p. 149. seq. omnes tres, quas statuit WELLERUS, *Declinationes* ab Articulo ὁ vel ὃς & Pronomine τὶς pendere docet, ita ut ab Articulo illo formentur Nomina primæ & secundæ, a τὶς vero Nomina tertiæ *Declinationis:* quæ formatio æque coacta nobis videtur.

§. X.

Siquis vero quærat, utrum bonæ methodo convenientius sit, decem statuere, an tres *Declinationes?* respondet RUMPFFIUS in Dissert. de *nimio in linguis studio* §. 29. tirones tot *Declinationibus* & *Coniugationibus* a Græcæ linguæ studio omnino deterreri, inprimis si eædem, dicente BISCHOFFIO l. c. p. 210. ut fieri in scholis assolet, ab Orbilio quodam virgis & baculis inculcentur. Neque tamen negari potest, divisionem in plures *Declinationes* evidentiorem esse, ut recte monet BAUMIUS in *Gram. Græc.* p. 31. cuius evidentiæ tanto magis habenda est ratio, quod præcepta Grammatica in gratiam præsertim tironum conscribi soleant. *Qui* enim *bene distinguit, bene docet.* Haud itaque immerito, WELLERUM rem non tam facilitasse, quam intricasse, iudicat MIRUS in *Institut.*

ſtitut. ling. Græc. p. 76. Latini eodem iure tertiam & quartam *Declinationem* in unam contrahere potuiſſent, quia *Declinatio* eorum quarta revera ex tertia exorta eſt, ut Genit. *fructus* pro *fructuis*, Nominat. plur. *fructus* pro *fructues* &c. neque tamen id fecerunt: unde certe WELLERO non ſatis cauſæ fuiſſe videtur, cur ad Latinos provocaret.

§. XI.

Quia tamen Grammatici recentiores ad unum fere omnes WELLERI ſequuntur methodum, etiam nos in ſequentibus eandem tenebimus, tres tantum numerando *Declinationes:* quarum prima, ut apud Latinos, in Nominativo quatuor terminationibus variatur, α, η, ας & ης; ſecunda habet ος & ον, vel Attice ως & ων; tertia novem litteris, ut quatuor Vocalibus, α, ι, υ, ω, & quinque Conſonantibus, ν, ξ, ϱ, σ, ψ, terminatur; revera autem triginta quinque admittit terminationes, notante GRETSERO in *Gram. Græc.* L. I. p. 55. quia litteras finales ν, ϱ & ς diverſæ Conſonantes & Vocales præcedere poſſunt. Qua vero ratione reliqui Caſus per omnes tres *Declinationes* terminentur, noſtrum non eſt pluribus oſtendere, ſed iuxta Paradigmata regulasque Grammaticas memoriæ mandandum. Maximam difficultatem obiiciunt Nomina tertiæ Declinationis *Contracta:* qualis *Contractio* fieri ſolet, quotiescunque binæ Vocales mutuo ſeſe tangunt. Eiusmodi enim Vocalium concurſum neque Græci neque aliæ gentes ferunt. Hinc apud Hebræos nunquam duæ Vocales in eadem voce immediate ſequuntur. Latini eandem ob cauſam ab Adiectivis in *US purum* Comparativos & Superlativos non faciunt; ſæpe quoque

Consonantem aliquam, præsertim *d*, duabus Vocalibus interponunt, ut *redeo*, pro *reeo*, *prodest* pro *proëst* &c. pro *e illo* & *a illo* iidem dicunt *ex illo* & *ab illo* &c. Gallis usitatior est Apostrophus, qui & post tertiam personam, in Vocales terminatam, litteram *t* interiicere solent, ut *parle-t-il?* &c. Græcis quinque modi sunt, quibus concursus ille evitetur: *Apostrophus*, (de quo Sect. II. §. 37. egimus,) ν ἐφελκυστικὸν, (de quo Sect. VIII.) ν *Epentheticum*, ut ἀνόμοιος pro ἀόμοιος &c. *Distractio*, qua Verba in μι formantur, (de quibus vid. Sect. IV. cap. 2.) & *Contractio*, de qua hic pluribus disserendum.

§. XII.

Fit autem eiusmodi *Contractio* trifariam. Vel enim 1) Vocalis altera simpliciter absorbetur, ut φιλῶ pro φιλέω; vel 2) duæ Vocales, sive una Vocalis & Diphthongus, in unam Vocalem vel Diphthongum contrahuntur, ut ἀληθῆ pro ἀληθέα, τιμᾶς pro τιμάεις; vel 3) gemina Vocalis in Diphthongum transit, vt τείχει pro τείχεϊ. Duo priores contrahendi modi dicuntur *Crasis*, i. e. *mixtio:* quia duæ Syllabæ, instar vini vel aquæ aliorumque fluidorum, in unum quasi sonum miscentur. Posterior vocatur *Synæresis.* Locum vero maxime habet *Contractio* in Casibus Nominum *puris*, hoc est, ubi binæ Vocales concurrunt, & in Verbis in έω, άω & όω. Talis itaque Vocalium concursus vel per omnes Nominis Casus, vel in aliquibus saltem offenditur. Quæ per omnes Casus contrahuntur, Grammaticis dicuntur ὀλοπαθῆ: qualia sunt e. g. Ἑρμέας, contract. Ἑρμῆς, μνάα, contract. μνᾶ, νόος, contr.

contr. νοῦς, λάας, contr. λᾶς, ὄϊς, contr. οἶς &c. Quæ in aliquot tantum Caſibus contrahuntur, vocantur ὀλιγοπαθῆ: qualia ſunt omnia tertiæ *Declinationis* Nomina, proprie ſic dicta *Contracta*, ut & Adiectiva quædam in υς, ut ἡδύς, & Comparativi in ων, ut μείζων. Qua ratione vero *Contractiones* inſpecie fiant, rectius ex Paradigmatibus diſcitur, quam ex multis regulis. Commode tamen diverſi illi contrahendi modi ſequenti ſchemate, omiſſis ſpecialioribus, ob oculos poni poſſunt:

1) α ante { ο, ω, οι & ου, contrahitur in ω. / alias Vocales, in α. (*) }

2) ε ante { longam Vocalem vel Diphthongum, in hanc contrahitur. / ο in ου. / alias Vocales, in ει. (**) }

3) ι ante Vocalem qualemcunque, cum ea in ι contrahitur.

4) ο ante { ε, ο, ου, contrahitur in ου. / ι, ει, οι, η, in οι. (***) / α, η, ω, in ω. (****) }

5) υ ante α & ε, in υ; alias non contrahitur.

Not. (*) Si *Jota* adeſt, id ſubſcribitur. (**) εα & εε Nominum in fine ſine Conſonante, contrahuntur in η. (***) όειν Infinitivorum in οῦν, όεις Nominum in οῦς contrahitur. (****) Accuſativus in όας contrahitur in οῦς; ſed Nomina ὁλοπαθῆ in όα & όη ſuum α & η retinent.

§. XIII.

Cæterum de Nominum *Contractorum* quorundam flexione & accentuatione Grammatici certant & adhuc ſub iudice lis eſt.

Nam I) circa Nomina *Contracta* in ις disputant, utrum e. g. ὄφις, ὄφιος, ὄφιι &c. Dialectus sit *Communis*, & ὄφις, ὄφεος, ὄφεϊ &c. *Jonica?* an vice versa illa sit *Jonica*, hæc *Communis?* Vulgo ιος habetur pro Dialecto *Communi*, εος vero pro *Jonica*. Secus tamen sentiunt VOSSIUS ad CLENARDUM, GUALTPERIUS, VERWEY, BAUMIUS & Auctor *Novæ Methodi discendi linguam Græcam*, provocantes ad HERODOTUM, DIONYSIUM *Halicarnassensem*, aliosque Dialecti Jonicæ scriptores, quibus Nominum eiusmodi flexio sollemnis sit: atqui non videri probabile, auctores illos eo casu abhibuisse Dialectum *Communem*. Utut sit, inquit GRETSERUS, non videtur a communi Grammaticorum opinione recedendum esse. II) Idem fit circa Nomina *Contracta* in εύς, quorum flexio per έος, ut βασιλεύς, Genit. βασιλέος, quibusdam pro *Jonica*, flexio vero per έως pro *Communi* simulque *Attica* habetur: qua in re VOSSIUS iterum ad HERODOTUM provocat, cui flexio per εος frequens sit. Id certum est, flexionem per έως altera per έος longe esse usitatiorem: unde & in N. T. Græco e. g. semper βασιλέως legitur. Quod si έος sit Dialecti *Jonicæ*, ratio exinde reddi posset, cur Genitivus ille in έος non contrahatur in ȣς, ut alibi fieri solet: quia Jones a *Contractionibus* abhorrent. III) Circa Nomina *Contracta* in ὠς & ὠ Grammaticis non convenit de accentuatione Casuum quorundam & de terminatione Vocativi sing. Accusativus enim sing. iuxta analogiam circumflectendus omnino erat, ut Λητῶ, αἰδῶ, ex Λητόα, αἰδόα, conf. supra Sect. II. §. 25. & 31. sic certe scribunt MELANCHTHON, CRUSIUS, BISCHOFFIUS,

KOEBERUS, Auctor *Novæ Methodi discendi linguam Græc.* WÆHNERUS aliique. Sed alii Nomina saltem in ὼ desinentia ab analogia excipiunt, dicentes in Accusativo e. g. Λητῶ, ut URBANUS, VERGARA, OPITIUS, GUMPRECHT, GUALTPERIUS, ANTESIGNANUS, POSSELIUS, VIGERUS &c. Volunt enim, Accusativum Nominativo, ut terminatione, ita & Accentu esse similem: quemadmodum Vocativus sing. cum Dativo conveniat. Alii denique in Accusativo sing. Nominum, tam in ὼς quam in ὼ terminatorum, *Acutum* (sub forma *Gravis*) reponunt, ut NEANDER, HENR. STEPHANUS, CLENARDUS, GRETSERUS, VOSSIUS, WELLERUS, URSINUS, BAUMIUS &c. testaturque STEPHANUS, se in exemplaribus auctorum fide dignis utriusque generis Nomina *Acuto* reperisse notata, conf. FISCHERI *Animadvers.* ad WELLERI *Gram. Græc.* p. 106. Nos tamen eorum accedimus sententiæ, qui analogiam secuti, Accusativum illum circumflectunt. Idem HENR. STEPHANUS Accusativum plur. Nominum in ὼς & ὼ circumflectit, ad EUSTATHIUM provocans, quem etiam URSINUS sequitur. Dissentiunt insuper Grammatici circa illorum Nominum Vocativum sing. quem alii similem faciunt Nominativo, alii in οι formant, idque circumflexum, ut Λητοῖ, vel, ut VOSSIO ad CLENARDUM & Auctori *Novæ Methodi* placet, *Acuto* (sub forma *Gravis*) affectum, Λητοὶ, ad differentiam Dativi. Observant URBANUS & TSCHONDERUS, οῖ tribuendum esse Dialecto *Communi*, ὼ vero & ὼς *Atticæ*, (quæ Vocativum semper similem facit Nominativo:) qua ratione utraque stare poterit sententia.

§. XIV.

§. XIV.

Habent & Græci quædam Nomina Declinatione *Anomala:* ut 1) *Defectiva*, eaque vel *Numero*, qualia sunt *Singularia tantum*, e. g. ἀὴρ, γῆ &c. & *Pluralia tantum*, e. g. Ἀθῆναι; vel *Casu*, e. g. ἀλλήλων &c. 2) *Abundantia*, e. g. ὁ δεσμὸς, ἡ δέσμη, τὸ δεσμὸν &c. 3) *Heteroclita*, e. g. σάββατον, in Dat. plur. σάββασι. 4) *Indeclinabilia*, qualia sunt Nomina litterarum, (conf. supra Sect. II. §. 4.) *Numeralia* a *quinque* usque ad *centum*, *peregrina*, e. g. Ἀδὰμ, *Poëtica Apocopen* vel *Paragogen* passa, e. g. δῶ pro δῶμα, ἐτέρηφι, pro ἑτέρη vel ἑτέρα &c. vocabula *technice* sumta, e. g. τὸ λόγος est *masculinum*, & denique alia quædam usu observanda, maxime in ας & αρ, e. g. βρέτας, νῶκαρ &c.

§. XV.

Post Declinationem circa Nomen considerandum venit *Genus*, quod æque ac apud Latinos vel *Masculinum* est, vel *Fœmininum*, vel *Neutrum*, vel *Commune*, vel *Omne:* quibus addi solet Genus *Epicœnum*. Cognoscitur quoque eodem modo, quo apud Latinos, ex *significatione naturali* & ex *terminatione* Nominum. Sunt enim *Masculina* Nomina *virorum*, *Deorum*, *mensium* & *fluviorum; Fœminina* Nomina *mulierum*, *Dearum*, *urbium*, *insularum*, *arborum*, *navium*, *fontium & viarum; Neutra* vero pleraque Nomina *fructuum*. In multis tamen significationi *naturali* prævalet terminatio, ut θυγάτριον, κοράσιον &c. pro *naturali* significatione *Generis* debebant esse *Fœminini*, quæ tamen ex terminatione sunt *Neutrius:* id quod præsertim in Nominibus *arborum* obtinet. Juxta ter-

terminationes vero alioquin *Genus* difficulter definitur, maxime in Declinatione tertia. Sunt tamen, qui totam rem ad certas quasdam regulas reducere tentarunt, ut OPITIUS in *Græcismo restituto* p. 68. seq. VERWEY in *Nova Via docendi Græca* p. 23. seq. & p. 33. seq. aliique, qui conferri possunt, add. & Cl. FISCHERUS in *Animadvers.* ad WELLERI *Gram. Græc.* p. 120. seq. Variat quoque subinde *Genus* pro diverso Nominum significatu, ut ὁ ζυγὸς, *iugum*, sed ἡ ζυγὸς *statera*; ὁ ἅλς *sal*, sed ἡ ἅλς *mare*; itemque pro Dialecto, ut ὁ βῶλος *Communiter*, sed ἡ βῶλος *Attice*; ὁ κίων *Communiter*, sed ἡ κίων *Jonice* &c. Habent denique Græci Nomina quædam *Genere Anomala*, ut 1) quæ in sing. *Masculina*, in plur. *Neutra* sunt, e. g. ὁ χαλινὸς, in plur. τὰ χαλινά; 2) quæ in sing. *Fœminina* sunt, in plur. *Neutra*, e. g. ἡ κέλευθος, in plur. τὰ κέλευθα; 3) quæ in sing. *Fœminina* sunt, in Dualis Nominativo Attice fiunt *Masculina*, e. g. γυνὴ, ὁδὸς, πόλις, χεὶρ &c. quod tamen alii negant; 4) quæ in diversis vel iisdem Declinationibus diversa habent *Genera*, e. g. ὁ σκότος, ου, & τὸ σκότος, εος.

§. XVI.

Sequitur *Qualitas* Nominis, qua vel *Substantivum* est vel *Adiectivum*. Pleraque, hactenus adducta, ad *Substantiva* spectant. Jam itaque de *Adiectivis* eorumque flexione agendum. Habent autem *Adiectiva* triplicem flexionem: 1) *per Casus & Numeros*, quæ dicitur *Declinatio*, 2) *per Genera*, quam vocant *Motionem*, & 3) *per Gradus*, quam *Comparationem* appellant. Ad Declinationem quod attinet, eam *Adiectiva* cum *Substantivis*

vis omnino habent communem. Quisquis igitur modum declinandi *Subſtantiva* tenet, ille & *Adiectiva* declinare noverit. Anomalias ſpeciales dabunt Grammatici. *Motio Adiectivis* ſimiliter communis eſt cum quibusdam *Subſtantivis;* niſi quod *Subſtantiva* ſaltem ex Maſculino in Fœmininum, nunquam in Neutrum moveantur, idque tum demum, quando *ſexus maſculini* & *fœminini* notio locum habet, ut in Nominibus *hominum* & *animalium*, neque tamen ſic ſemper: ut ἄναξ *rex*, ἄνασσα *regina*, ἔχις *vipera mas*, ἔχιδνα *vipera fœmina.* Pleraque Fœminina Subſtantiva, a Maſculinis per *Motionem* deflexa, in ια vel ινα deſinunt: qua in re quædam linguæ Græcæ cum Latina & Germanica convenientia ſeſe prodit, ut βασιλεὺς, fœm. βασίλιννα, Lat. *rex*, *regina*, German. König, Königin, ἀλεκτρυὼν, fœm. ἀλεκτρύαινα, (pro ἀλεκτρυάινα) Lat. *gallus*, *gallina;* Θεὸς, fœm. Θέαινα, (pro Θεάινα) German. Gott, Göttin, δεσπότης, fœm. δέσποινα (pro δεσπότινα) German. Herr, Herrin, &c. Plura exempla Subſtantivorum, vel hac vel alia ratione in *Motione* inflexorum, apud Grammaticos leguntur, maxime apud VOSSIUM ad CLENARDUM, apud GRETSERUM, GUALTPERIUM &c. *Adiectiva* vero per tria moventur Genera, idque vel ſub totidem terminationibus, ut ὁ καλὸς, ἡ καλὴ, τὸ καλὸν; vel ſub duabus, ut ὁ, ἡ σώφρων, τὸ σῶφρον; vel ſub una tantum terminatione, ut ὁ, ἡ, τὸ ἅρπαξ. Duabus terminationibus veniunt Adiectiva præſertim in ην, ης, ων, (exceptis tamen Participiis,) ωρ, *Compoſita* in ις & υς &c. itemque *Compoſita* in ος; immo & Attice *Simplicia* in ος, ut ὁ, ἡ ἔρημος, τὸ ἔρημον, maxime finita in ος *purum*, obſer-

observantibus GUALTPERIO & CRUSIO, & in μος atque ρος, notante NEANDRO: cuius rei exempla dabunt POSSELIUS in *Syntaxi Græc.* p. 9. FISCHERUS in *Animadverſ.* ad WELLERI *Grammat. Græc.* p. 136. ſeq. & ex N. T. WYSSIUS in *Dialectologia S.* p. 133. ſeq. Celeb. C. S. GEORGIUS in *Hierocritico N. T.* p. 69. 70. &c. Inter *Adiectiva* unius terminationis quidam Grammatici referunt 1) *Numeralia Cardinalia* a πέντε usque ad ἑκατὸν, quibus TSCHONDERUS in *Syſtemate Grammaticæ Græc.* p. 86. addit *Numeralia Multiplicativa* in πλαξ, ut τρίπλαξ, *triplex*; 2) Compoſita ex ἀκτὶν, ῥὶν & χεὶρ; 3) Deſinentia in αρ & ξ. His CRUSIUS ſubiicit 4) quædam Derivata in ὰς, alias Fœminina, quibus Poëtæ ut Maſculinis & Neutris utuntur, ut ὁ μονὰς, τὸ δρομὰς, e. g. δρομάδι κώλῳ *veloci pede*, apud EURIPIDEM. Illis tamen contradicunt VOSSIUS, CANINIUS, ANTESIGNANUS, VERWEY, Auctor *Novæ Methodi diſcendi linguam Græc.* aliique, negantes, dari Adiectiva ſub una terminatione Generis *Omnis*; quia eiusmodi exempla nullibi in Neutro occurrant, neque etiam Subſtantivum aliquod Generis Neutrius in ξ terminetur: ut adeo error ille ex cognatione Adiectivorum Latinorum, in *x* deſinentium, exortus videatur. Alii totam rem in dubio relinquunt, ut SYLBURGIUS in *notis* ad CLENARDUM & ANTESIGNANUM p. 422. & URSINUS in *Gram. Græc.* p. 107. Neque tamen video, quid contra exempla in ὰς, a CRUSIO p. 25. excitata, excipi queat? niſi dicendum ſit, Nomina illa in ὰς non eſſe Adiectiva; ſed Subſtantiva, per *Appoſitionem* aliis Subſtantivis adiuncta: qualis

lis constructio apud auctores Græcos, maxime Poëtas, non adeo infrequens est, ut apud AESCHYLUM πόλις πενθητὴρ *urbs lugubris*, apud NONNUM φωνὴ σημάντωρ *vox significatrix* &c.

§. XVII.

Tertia Adiectivorum flexio fit per tres *Gradus Comparationis: Positivum, Comparativum* & *Superlativum;* estque vel *Regularis* vel *Irregularis. Regularis* est, qua *Comparativus* formatur addita terminatione τερος, (u) *Superlativus* addito τατος. Vocales & Consonantes, has terminationes τερος & τατος præcedentes, pro diversa *Positivi* terminatione & ipsæ differunt, suntque ο vel ω, υ, ν, ρ, ες, (u) ες, & apud Atticos αι & ις: qua de re tamen pluribus hic agere, nostrum non est, sed Grammaticis relinquitur. *Comparatio Irregularis* addit in *Comparativo* ίων, ut κακίων a κακὸς, vel ων, ut μείζων a μέγας; in *Superlativo* ιςος, (x) ut κάκιςος, μέγιςος &c. Dantur & aliæ *Comparationis* anomaliæ. Nam I) *Comparatio* interdum per μάλα, μᾶλλον, μάλιςον multaque alia Adverbia *Comparandi* & *Intendendi* fieri solet: cuius rei plurima exempla congessit Doctiss. FISCHERUS in *Animadvers.* ad WELLERI *Gram. Græc.* p. 151. seq. II) Quædam Adie-

(u) Eodem modo Persæ *Comparativum* suum formant, addita Syllaba *ter*, observante WARNERO de *Proverbiis Pers.* p. 24. Germani vero adiecto solo **er**, in *Superlativo* **est** vel **este**: ut **gelehrter, gelehrteste.**

(x) Simili ratione Germani *Superlativum* terminant, addendo **ist** vel **iste**: ut **obrist** vel **obriste**, &c. conf. Sect. I. §. 6.

Adiectiva diversimode comparantur eoque *Abundantia* dici possunt: qualia sunt ἀγαθὸς, κακὸς, μέγας, μικρὸς, &c. ut & Adiectiva in υς, ut βραδὺς, παχὺς, ταχὺς &c. III) Quorundam *Comparativus* & *Superlativus* a *Positivo* plane non descendunt, nec quicquam cum illo habent cognationis, e. g. *Comparativus* κρείττων & *Superlativus* κράτιστος minime deflexi sunt ab ἀγαθὸς, nec cum eo ullatenus conveniunt. Haud abs re itaque SYLBURGIUS l. c. p. 436. GUALTPERIUS in *Gram. Græc.* p. 76. seq. URSINUS in *Gram. Græc.* p. 112. & BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 180. seq. eiusmodi *Comparativos* & *Superlativos* a *Positivis* obsoletis derivandos esse putant: ut χείρων, Poëtice χερείων, χείριστος, ἀρείων, ἄριστος, a *Positivis* obsoletis χερὺς, ἀρὺς, &c. IV) Quidam *Comparativi* & *Superlativi* ab aliis *Partibus Orationis* veniunt, idque vel a *Nominibus Substantivis*, e. g. τομώτερος *acutior*, Hebr. 4, 12. a τομὴ *cæsura*; κερδίων, ιστος, a κέρδος *lucrum*; κυδίων, ιστος, a κῦδος *gloria*; ῥιγίων, ιστος, a ῥῖγος *frigus*; βασιλεύτερος, τατος, a βασιλεὺς *rex*; ἀγρότερος ab ἀγρὸς &c. Vel a *Particulis*, ut ἀνώτερος, τατος, ab ἄνω *supra*; ἐσώτερος, τατος, ab ἔσω *intus* &c. Vel a *Verbis*, ut λωΐων vel λώων, λῷστος, a λῶ *volo*; δεύτερος, τατος, a δεύω *relinquo*; βέλτερος (y) & βελτίων, βέλτιστος, a βάλλω vel βούλομαι, &c. Qualia exempla idem BISCHOFFIUS l. c. a similibus *Positivis* inusitatis deducit, ut βελτίων vel βέλτερος, βέλτιστος, a βελτὺς, λωΐων, λῷστος,

(y) Quod tamen Celeb. HEUMANNUS in *Poecile* Tom. II. p. 520. *Comparativum* esse negat.

λῶϛος, a λωὺϛ &c. Etiam apud Latinos eiusdem generis *Comparatio* obtinet, ut *oculus, oculissimus, Nero, Neronior, patruus, patruissimus, Pœnus, Pœnior, ſupra, ſuperior, ſummus,* &c. Ipſi adeo Hebræi non ſolum Subſtantiva, ſed interdum Verba quoque comparare vel ſaltem eorum ſignificationem, addito *He Paragogico*, intendere ſolent, ut עוֹלָתָה *iniquitas ſumma,* נִפְלְאָתָה *admodum mira fuit,* &c. conf. ALTINGII *Gram. Hebr.* §. 151. & DANZII *Litterat.* §. 16. & *Interpr.* §. 192.

§. XVIII.

Pertinet & id ad *Comparationis* anomaliam, quod V) a nonnullis *Comparativis* & *Superlativis* novi alii *Comparativi* & *Superlativi* deflectantur, ut μειότεϱος a μείων, καλλιότεϱος a καλλίων, χειϱιϛότεϱος a χείϱιϛος, κυδίϛατος a κύδιϛος, ἐσχατώτατος ab ἔσχατος &c. ſicque in N. T. ἐλαχιϛότεϱος ab ἐλάχιϛος, Eph. 3, 8. qua analogia & Johannes 3 Epiſt. v. 4. a μείζων novum *Comparativum* formavit μειζότεϱος, apud auctores profanos nuspiam obvium, ideoque JOACH. CAMERARIO pro barbaro habitum. Hæc *Comparationis* ratio cumprimis placet Poëtis & ut plurimum a *Comparativis* & *Superlativis* irregularibus fieri ſolet. Latini idem imitantur, unde *peſſimiſſimus* apud SENECAM, *extremior, poſtremior* & *poſtremiſſimus* apud ARNOBIUM &c. Vid. VOSSIUS de *Analogia* L. II. c. 26. Etiam Armenos a *Superlativis* novos formare *Comparativos* & *Superlativos*, notat Celeb. J. J. SCHROEDERUS in *Theſauro Armen.* p. 54. Inſervit autem eiusmodi *Comparatio* ſignificationi magis augendæ, ut καλλίων *pulchrior*, καλλιότεϱος *longe pul-*

pulchrior, ἐλάχιστος *minimus*, ἐλαχιστότερος *minor minimo*, &c. conf. EDUARDI LEIGH *Critica S. N. T.* in voc. ἐλάχιστος. Inde Doctiss. VENSKIUS in *Obſervat. Philolog.* Pentad. II. quartum quendam *Comparationis Gradum* ſuperaddit, qui *Plusquamſuperlativus* vocari poſſit. Denique VI) Adiectiva quædam *Comparationem* per *Gradus* plane reſpuunt: ut 1) deſinentia in ις, ως & ην, quibus & nonnulli addunt finita in ξ & αρ, unde tamen reperiuntur τερεινότερος (a τέρην,) & μακάρτατος in fœmin. ſic ἀρπάγιστος, (ab ἅρπαξ,) βλακίστατος, (a βλὰξ *ſtupidus*,) &c. 2) illa, quorum ſignificatio augeri nequit, ut πᾶς: quo inſpecie Adiectiva *Numeralia* pertinent.

§. XIX.

Sunt autem Adiectiva illa *Numeralia* varii generis: ut I) *Cardinalia*, e. g. εἷς, δύο, τρεῖς &c. II) *Ordinalia*, e. g. πρῶτος, δεύτερος, τρίτος &c. III) *Multiplicativa*, in πλȣ̃ς terminata, ut apud Latinos, e. g. ἁπλȣ̃ς, διπλȣ̃ς, τριπλȣ̃ς &c. quo etiam refer Compoſita ex μέρος, ut διμερὴς, τριμερὴς &c. IV) *Proportionalia* vel, ut CRUSIUS vocat, *Ponderalia*, in πλάσιος deſinentia, e. g. διπλάσιος, τριπλάσιος &c. V) *Temporalia*, quæ *tempus* exprimunt: & quidem vel *annos*, ut Compoſita ex ἔτος & ἔνος *annus*, e. g. διετὴς, τριετὴς, ἐνάενος, δίενος &c. vel *menſes*, ut Compoſita ex μὴν *menſis*, e. g. δίμηνος, τρίμηνος &c. vel *dies*, ut finita in αῖος, e. g. τριταῖος, τεταρταῖος, maxime Compoſita ex ἡμέρα, ut τριήμερος, &c. quæ Grammaticis quibusdam *Dialia* appellantur. VI) *Distributiva*, quæ Græci per periphraſin quandam exprimere ſolent: ut vel per Numeri *Cardinalis* aut Nominis geminationem,

e. g. δύο δύο Marc. 6, 7. συμπόσια συμπόσια ibid. v. 39. id quod LXX Interpretibus & Scriptoribus N. T. follemne eſt atque Hebraismo tribuendum; vel per Præpoſitiones: ut per εἰς, e. g. εἰς ἕνα *ſinguli*, εἰς δύο *bini* &c. per κατά, e. g. κατ' εἴκοσι *viceni* &c. ſæpius autem per ἀνά, e. g. ἀνὰ δύο χιτῶνας *ſinguli duas tunicas*, Luc. 9, 3. ἀνὰ πεντήκοντα *quinquageni*, ibid. v. 14. vid. & Joh. 2, 6. qua Præpoſitione ἀνὰ hodienum Medici in medicamentorum formulis uti ſolent, ad indicandam æquabilem medicamentorum *distributionem*, quod illi per *aa* exprimunt.

§. XX.

Cæterum circa *Numeralia* obſervandum, I) *Cardinalia* a πέντε usque ad ἑκατὸν eſſe *Indeclinabilia*, (conf. præced. §. 14.) reliqua autem *Declinabilia*. Reperitur quidem in Genitivo plur. τριηκόντων apud HESIODUM & CALLIMACHUM, atque in Dativo τριηκόντεσσιν in *Anthologia* L. I. c. 47. quod tamen non imitandum, monent VOSSIUS & FISCHERUS l. c. p. 158. II) Numeros compoſitos intermedios, ut 11, 12, 23, 36, &c. ſic exprimi, ut, non adhibito καὶ, maior numerus præcedat, e. g. δέκα ἓν 11, δέκα τρία 13, εἴκοσιν ἓν 21, εἴκοσι δύο 22 &c. ubi tamen uterque numerus ſubinde in unum contrahitur, numero minore ſic præeunte, ut ἕνδεκα, δώδεκα &c. addito autem καὶ, minor numerus, ut apud Latinos & Germanos, præcedat oportet, e. g. ἓν καὶ εἴκοσι 21, τρία καὶ εἴκοσι 23, &c. quod etiam fieri ſolet, quoties uterque numerus cum καὶ in unum coaleſcit, ut τριακαίδεκα 13, τριακονταχαιὲν 31, &c. *Numeralibus* vero *Ordinalibus*, ut apud Latinos, καὶ vel addi vel omitti, maior item numerus vel præ-

præponi vel poſtponi poteſt, ut τρίτος καὶ εἰκοστὸς, vel εἰκοστὸς καὶ τρίτος, vel εἰκοστὸς τρίτος, *viceſimus tertius*; ab *undecim* vero ad *viginti* usque eadem *Ordinalia* in unum contrahuntur: ſic tamen, ut minor numerus per *Numerale Cardinale*, in conſtructione *Ordinali* præmiſſum, exprimatur, e. g. ἑνδέκατος *undecimus*, δυοκαιδέκατος *duodecimus*, τεσσερακαιδέκατος *decimus quartus*, &c. III) *Numeralibus* quoque accenſenda eſſe tum Subſtantiva Derivativa in ὰς, ut μονὰς *unitas*, δυὰς *dualitas*, τριὰς *trinitas*, &c. & in τὺς, ut τριττὺς *trinitas*, τετρακτὺς *quaternio*, &c. tum Adverbia *Numeri*, ut ἅπαξ, δὶς, τρὶς &c.

§. XXI.

Supereſt Nominis *Notatio*, qua eius *origo* notatur. Eſt autem Nomen ratione Speciei, vel *Primitivum*, ut οἶκος, vel *Derivativum*, ut οἰκεῖος; ratione *Figuræ*, vel *Simplex*, ut σοφὸς, vel *Compoſitum*, ut φιλόσοφος, vel *Decompoſitum*, ut ἀφιλόσοφος. *Primitiva* dicuntur, quæ ab aliis vocibus non deſcendunt, vel quorum ſaltem origo in lingua Græca latet, ex aliis linguis repetenda. Pleraque *Primitiva* Græca, (ut ipſa Græcorum gens,) ex oriente ortum ducunt, ex Hebraica nimirum & Phœnicia aliisque linguis orientalibus, quibus nonnulli & Scythicam atque Aegyptiacam addunt, conf. Sect. I. §. 1 -- 3. Græci ipſi, ut Scholiaſtæ, Auctor *Etymologici Magni*, aliique Lexicographi & Grammatici veteriores, vocum *Primitivarum* natales in ſua ipſorum lingua quærere ſolent, ſucceſſu tamen ſæpiſſime tam infelici, ut vel ipſo Heraclito riſum moveant. Felicius rem egerunt recentiores *Etymologicorum* ſcriptores, ut MAT-

THIAS MARTINIUS in *Cadmo Græco-Phœnice*, & SAM. KOENIG in *Etymologico Helleno-Hebræo*, aliique, qui in harmoniam linguarum inquisiverunt, laudati Sect. I. §. 3. quo & Lexicographi quidam operam suam contulerunt, ut J. C. SUICERUS in *Lexico Græco-Latino* &c. Vocabula, ex aliis vocibus non composita, *Simplicia* dicuntur: quæ vel ipsa quoque *Primitiva* sunt, ut ἱερὸς, vel *Derivativa*, ut ἱερεύς. *Derivativa* sunt vel *Verbalia*, vel *Nominalia* sive, ut aliis vocantur, *Denominativa*. Illa a Verbis oriuntur, hæc ab aliis Nominibus. Maxima pars *Verbalium* descendunt a Verborum *Præteritis Passivi* & *Medii*, rarius ab aliis Temporibus. *Derivativa* illa, tam *Substantiva* quam *Adiectiva*, pro varia ipsorum significatione & linguæ Græcæ copia adeo differunt, ut earum enumeratio nostrum institutum omnino excedat: quod etiam de *Compositis* dicendum, quæ cum omnibus *Partibus Orationis* componi possunt & ad linguæ Græcæ tum copiam, tum elegantiam maxime faciunt, vid. J. C. MYLII Diss. de *elegantia Compositionis Græcæ & Latinæ*, & conf. supra Sect. I. §. 4. & 5. Accuratam autem *Formarum* ac terminationum, ut & significatuum, ex *Formis* & terminationibus æstimandorum, utriusque generis vocabulorum disquisitionem ad *Onomasticum* nostrum *Græcum* reservamus.

§. XXII.

Nominum *Verbalium* a Verbis suis derivationes a plerisque Grammaticis notatas reperias; de *Compositis* exstat anonymi tractatio, RHENII *Gram-*

Grammaticæ Græcæ Maiori subiecta. Nemo vero in significationem Nominum, ex derivatione & compositione illa diiudicandam, ex instituto inquisivit; quædam saltem Grammatici aliique Philologi obiter hinc inde notarunt. Est autem illa originationis vocum Græcarum notatio maximi momenti ususque plane insignis. Exinde enim I) in genere Nominum significatus rectius definiri potest, e. g. δαιμονιώδης Jac. 3, 15. minus recte redditur *diabolicus*, sed proprie est *talis, qualis dæmonum esse solet.* II) In specie discrimen plurium *Derivativorum*, ab eodem *Primitivo* descendentium, patet, e. g. quid differant ζήτησις & ζήτημα, ἄνθραξ & ἀνθρακιὰ, φειδὸς & φείδων &c. III) Vocum significatio, circa quam disputare solent Lexicographi & Philologi, decidi potest, e. g. ἀγαθωσύνη Rom. 15, 14. 2 Thess. 1, 11. &c. vulgo vertitur *bonitas*, rectius vero ab ERASMO SCHMIDIO redditur *beneficentia:* est enim *Verbale* ab inusit. ἀγαθόω *benefacio*, non *Nominale* ab ἀγαθὸς; ἔκτρωμα 1 Cor. 15, 8. JOH. MARCKIUS exponit *abortionem* sive *actionem abortandi*, cum potius sit ipse *abortionis effectus*, i. e. *abortus* sive *infans abortando editus.* IV) Lexicographi recentiores, ubi veteres non satis intellexerunt, corrigi possunt, e. g. θερῆθρα (ut vulgo legitur,) ab HESYCHIO in *Glossario* exponitur per ὀχεῖα, quod Lexicographi nostri male intelligentes, *initum* sive *coitum* reddunt, quasi sit ὀχεία; cum potius ὀχεῖα sit Neutrum plur. explicandum per *animalia admissaria:* ut adeo θερηθρα per Syncopen, in eiusmodi *Formis* usitatissimam, dictum sit pro θερητήρια, legendumque, non ut *Properispomenon*, sed

ut

ut *Proparoxytonon*, θέρηθρα. (z) V) Nativa Accentuum ſedes determinatur, e. g. *Imitativa* ἀμπελιῶν & κοπριῶν male ſic accentuata leguntur, confuſa quippe cum Nominibus ſic dictis *Comprehenſivis* in ὢν, potius legenda ἀμπελίων, i. e. *avis, ſectans & amans vites*, & κοπρίων *ſcarabæi* genus, *ſectans & amans ſtercus;* contra μύλων legendum eſt μυλὼν; νοσσία *nidus pullorum, pullities*, Luc. 13, 34. utpote Nomen *Comprehenſivum* ſive *Collectivum*, rectius ſcribitur νοσσιὰ, &c. VI) Judicium de *Lectionibus Variantibus* ferri poteſt, e. g. 1 Tim. 3, 2. quidam codices falſo habent νηφάλεος, legendum vel iuxta alios codices νηφάλιος, vel alio ſaltem accentu νηφαλέος; apud HESYCHIUM pro ἐλεατὸς reſcribendum eſt ἐλέατρος, (z) contractum ex ἐλεατήριος: quia notio *Verbalium* in τὸς huc non quadrat; apud HOMERUM *Iliad.* IV. 478. & *Iliad.* XVII. 302. quidam legunt θρέπτα pro *nutritionis præmiis*, alii *Formæ* eiusque ſignificationi convenientius θρέπτρα, &c. VII) Nominum *Propriorum* ſignificatus accuratius explicatur, ut Γαλλίων Act. 18, 12. proprie eſt, *qui Gallos imitatur*, Φιλήμων *amator*, *qui amat*, ſcil. parentes, non vero *dilectus* vel *carus;* Ὀνήσιμος proprie *aptus ad iuvandum, utilis* &c. VIII) Emphaſis vocum oſtenditur, ut ἁμαρτωλὸς, (cum terminatione ωλὸς *Intenſiva* & *Frequentativa*,) *peccator*, proprie *qui graviter & frequenter peccat.* Denique IX) hæc doctrina, monentibus PLARRIO in *Philologia Aphoriſtica* p. 19. 20. & HENSELIO in *Synopſi univerſæ Philologiæ* p. 310. eximium memoriæ ſubſidium

(z) HESYCHII *Gloſſarion* infinitis falſis ſcatere lectionibus, communis eſt Philologorum querela: quo & hæc exempla referenda putamus.

dium præstat. Siquis enim *Primitivorum* & *Simplicium* significationem noverit, tunc facile *Derivatorum* & *Compositorum* notionem ex horum *Formis* & terminationibus, etiam non adhibito Lexico, colliget: quod qua ratione & methodo fieri possit, docent PHIL. CATTIERUS in *Gazophylacio Græco* & F. G. FISCHERUS in libello: Der geschwinde Grieche; conf. Sect. I. §. 18.

CAPVT IV.

DE PRONOMINE.

§. XXIII.

Tertiam *Partium Orationis Declinabilium* classem *Pronomen* constituit. Vulgo septendecim numerantur *Pronomina;* quidam tamen, connumeratis δεῖνα, ἡμεδαπὸς & ὑμεδαπὸς, eorum numerum ad viginti extendunt, quibus si, notante URSINO in *Gram. Græc.* p. 140. addantur τις tam *Interrogativum* quam *Indefinitum*, Articulus item *Postpositivus* ὃς, ἣ, ὃ &c. maior etiam numerus conficeretur. Circa *Pronomina* tum *divisio*, tum *flexio* eorum consideranda venit. Dividuntur enim *Pronomina* I) ratione *Qualitatis*, in *Substantiva*, qualia sunt ἐγὼ, σὺ, ὗ, & *Adiectiva*, qualia sunt reliqua omnia. II) ratione *Speciei*, in *Primitiva*, ut ἐγὼ, σὺ, ὗ, ἐκεῖνος, αὐτὸς, δεῖνα, & *Derivativa*, ut ἐμὸς, σὸς, ἑὸς, νωΐτερος &c. III) ratione *Figuræ*, in *Simplicia*, ut αὐτὸς, & *Composita*, ut ἐμαυτοῦ &c. IV) ratione *significationis* in *Demonstrativa*, ut ἐγὼ, σὺ, ἐκεῖνος, οὗτος; *Relativa*, ut αὐτὸς, ὅστις; *Reciproca*, ut ὗ, ἑὸς, ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ; *Possessiva*, ut ἐμὸς, σὸς, ἡμέτερος, ὑμέτερος;

Gentilia, ut ἡμεδαπὸς, ὑμεδαπὸς; *Interrogativa*, ut τίς; & *Indefinita*, ut τὶς, δεῖνα. Pronominum *flexionem* quod concernit, ea cum Nominibus tam *Declinationem* quam *Motionem* habent communem: unde SANCTIUS in *Minerva* L. I. c. 2. *Pronomina* separatam quondam *Orationis Partem* constituere negat, eademque ad Nomina referenda esse putat, quem etiam BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 231. sequitur.

§. XXIV.

In *Declinatione* tamen tria Pronomina *Substantiva*, ἐγὼ, σὺ & ἓ, sui plane iuris sunt; quanquam BISCHOFFIUS l. c. p. 234. seq. illa quoque maximam partem ad analogiam reducere conatur, supponendo, ἐγὼ, σὺ, μὲ sive ἐμὲ, σὲ, ἓ, μὶν vel νὶν *Casibus* esse *Defectiva*, reliquos vero Casus, ut ἐμȣ̃, σȣ̃ &c. ab aliis Nominativis deflectendos, ut ἐμȣ̃ ab ἐμὸς, σȣ̃ a σὸς &c. qua ratione *Pronominum* Declinationem non parum facilitari posse credit; cum alioquin, si eiusmodi flexiones anomalicæ fustibus inculcentur tironibus, brevi tempore, præsertim si minus felici memoria fuerint, ad insaniam redigantur: cuius rei ipse exemplum quoddam in medium producit. Reliqua *Pronomina* Declinationem Nominum sequuntur. *Pronomina* enim *trium terminationum* instar Adiectivorum iuxta primam & secundam Declinationem flectuntur, τις vero, tam *Interrogativum* quam *Indefinitum*, ut & Compositum ὅςις, iuxta tertiam. Ab illis tamen duo *Pronomina* ȣ̃τος & δεῖνα ex parte abeunt: ȣ̃τος enim, ex ὁ αὐτὸς quippe conflatum, in Casibus *Obliquis* Masculini & Fœminini, (sicut & Articulus ὁ, ἡ, τὸ,) loco Spiritus *Asperi* litteram τ assumit, quod idem & Neutrum per omnes Casus

Casus facit; δεῖνα vero vel plane non declinatur, vel ad tertiam flectitur Declinationem, idque vel ut *Parisyllabicum*, ut δεῖνα, Genit. δεῖνος, Dat. δεῖνι &c. vel ut *Imparisyllabicum*, ut Genit. δείνατος, Dat. δείνατι &c. per omnia Genera. Pleraque *Pronomina* Vocativo carent, *Reciproca* insuper, οὗ, ἐμαυτοῦ, ἑαυτοῦ, etiam Nominativo.

§. XXV.

Conveniunt præterea Pronomina *Adiectiva* cum Nominibus Adiectivis quoad *Motionem*. Moventur enim per tria Genera vel sub totidem terminationibus, ut ἐμὸς, ἡ, ὸν; σὸς, ἡ, ὸν; ἑὸς, ἡ, ὸν; ἡμέτερος, α, ον, &c. (ex quibus tamen οὗτος, ἐκεῖνος & αὐτὸς in Neutro, sicut Articuli, in ο desinunt, ut τοῦτο, ἐκεῖνο, αὐτὸ,) vel sub duabus terminationibus, ut τις, in Neutro τι; vel denique sub una, ut ὁ, ἡ, τὸ δεῖνα. *Comparationem* vero *per Gradus* Pronomina plane respuunt: αὐτότατος enim, quo ARISTOPHANES utitur, monente CANINIO in *Hellenismo* p. 227. ioci saltem caussa ab αὐτὸς formatum est, ut Lat. *ipsissimus* apud PLAUTUM. Cæterum *Pronomina* ex Dialectis multiplices patiuntur variationes, quas tamen BISCHOFFIUS l. c. p. 243. meras esse *Figuras Grammaticas* contendit.

CAPUT V.

DE

PARTICIPIO.

§. XXVI.

Superest ex *Partibus Orationis Declinabilibus* *Participium*, iuxta Grammaticos sic dictum, quia *partem capit* a *Verbo*, *partem* a *Nomine*.

A Verbo quidem *Participium* accipit *originem*, *significationem*, *Formam* vel, ut Grammatici vocant, *Vocem* & *Tempus*, e. g. τύψας, *qui verberavit*, a Verbo τύπτω oritur, ab eodem notionem *verberandi* accipit, idque ſenſu *Activo* & in Tempore *Præterito.* Cum Nomine, & quidem Adiectivo, *Participium* communem habet *Declinationem* & *Motionem*, interdum & *Comparationem*, e. g. τύψας in Maſcul. & Neutr. declinatur inſtar Nominum tertiæ Declinationis, in Fœmin. ut Nomina primæ; movetur idem per tria Genera ſub totidem terminationibus, ut τύψας, τύψασα, τύψαν: adeoque *Caſus*, *Numeros* & *Genera* cum Nomine habet eadem. Unde & *Participia* ſæpius in Nomina degenerant eorumque, æque ac apud Hebræos & Latinos, vicem ſuſtinent, e. g. πειράζων *tentator*, Matth. 4, 3. ἀπολλύων *perditor*, Apoc. 9, 11. Quædam *Participia* etiam per *Gradus* comparantur, ut ἐῤῥωμένος *roboratus*, in *Comparativo* ἐῤῥωμενέστερος *roboratior*, *validior*, in *Superlativo* ἐῤῥωμενέστατος *maxime roboratus, validiſſimus* &c. ut apud Latinos, e. g. *eloquens*, *doctus*, *ſapiens* &c. Cæterum Græci *Participiis* frequentiſſime uti ſolent, (unde & φιλομέτοχοι i. e. *Participiorum amantes* vocantur,) quorum numerus adeo apud illos, quam omnes alias gentes, eſt copioſior, quæque ad breviter eleganterque loquendum apprime faciunt; cum contra Latinus & Germanicus ſermo pleraque *Participia* Græcorum circumſcribere neceſſe habeat; conf. GRETSERI *Inſtitut. ling. Græc.* L. I. p. 167. Reliqua, quæ de *Participio* dici queant, ad Sectionem ſeq. reſervantur.

SECTIO

SECTIO IV.

DE
PARTE ORATIONIS CONJUGABILI
SIVE
VERBO.

SECTIO IV.

DE
PARTE ORATIONIS CONJUGABILI
SIVE
VERBO.

CAPUT I.

DE
VERBO IN GENERE.

§. I.

Consideratis *Partibus Orationis Declinabilibus*, sequitur *Pars Coniugabilis* sive *Verbum:* ubi perpendimus tum multiplicem eius *divisionem*, tum reliqua eiusdem *Accidentia*. Multifariam enim pro diverso respectu dividi *Verbum* solet. Nam I) ratione *Personarum*, vel *Personale* est, per omnes tres *Personas* flexibile, ut τύπτω; vel *Impersonale*, occurrens in sola *Persona* tertia, idque vel in *Activo*, ut δεῖ *oportet*, vel in *Passivo*, ut λέγεται *dicitur*, man sagt, vel in *Medio*, ut ἐνδέχεται *accidit*. II) Ratione *flexionis*, est vel *Regulare*, ut γράφω, vel *Irregulare* & *Anomalum*, quoties vel eius *Tempora* ab invicem regulariter non deducuntur; vel unum atque alterum *Tempus* deficit: qualia *Verba* inspecie *Defectiva* vocari solent. Plerique Grammatici eiusmodi *Defectivorum* & *Anomalorum* Indicem

satis

ſatis prolixum doctrinæ de *Verbo* ſubiiciunt. Jam dudum vero obſervatum eſt nonnullis, multa *Verba* revera *Regularia* falſo haberi pro *Anomalis*, quæ ſi ad genuina *Primitiva* ſua, utut inuſitata, reducantur, omnis diſparebit anomalia, e. g. λαμβάνω refertur inter *Anomala*, quia in Aor. 2. format ἔλαβον, in Præt. λέληφα, in Fut. 1. Med. λήψομαι &c. ſi vero ſupponitur thema quoddam λήβω, olim forſitan uſitatum, unde Tempora illa irregularia ſuperſunt, omnia regulariter fluent. Sic Lat. *fui*, *futurus*, *forem* (pro *fuerem*) &c. non deſcendunt a Præſenti *ſum*, ſed a Verbo antiquo *fuo*, (Græc. φύω) unde & Coniunctivus *fuat* ſupereſt. Quare anonymus quidam in Additam. III. ad *Obſervat. Halenſ.* Indicem illum Verborum *Anomalorum* vel *Defectivorum*, velut tironibus, monente Celeb. LAUR. REINHARDO in *Gram. Græc.* p. 103. faſtidium parientem multumque negotii faceſſentem, expunctum vult. III) Ratione *Figuræ*, Verbum eſt vel *Simplex*, ut τυγχάνω; vel *Compoſitum*, maxime cum Præpoſitionibus, ut ἐντυγχάνω; vel *Decompoſitum*, ut ὑπερεντυγχάνω. IV) Ratione *Speciei*, eſt vel *Primitivum*, ut λέγω; vel *Derivativum*, idque vel a *Nomine*, ut πιστεύω a πιστός; vel ab alio *Verbo*, ut φάσκω a φάω: quo præſertim pertinent Verba in μι; vel a *Particula*, ut διχάζω a δίχα, ἐγγίζω ab ἐγγὺς &c.

§. II.

Cæterum ex eiusmodi Verborum *Derivativorum* terminationibus eorundem ſignificationem colligere licet. Talia ſunt I) Verba in σκω, quæ Grammaticis *Incboativa* vocantur, ut γηράσκω *ſeneſco*,

ἡβάσκω

ἡβάσκω *pubesco* &c. unde & Latini *Inchoativa* sua in *sco* formarunt. AUG. BISCHOFFIUS tamen in *Cadmo* p. 261. *Frequentativa* dicere mavult. Descendunt autem a Verbis in άω, έω, όω & ύω. II) *Frequentativa* in άζω, ut τροχάζω *cursito*, & in ώσσω sive ώττω, ut ὑπνώττω *frequenter dormio, dormito*. BISCHOFFIUS l. c. p. 264. terminationem άζω esse ipsum Verbum ἅζω *colo, veneror*, adeoque plane aliud significare putat, e. g. ἁγιάζω esse ex ἅγιος & ἅζω. III) *Meditativa* sive *Desiderativa* in είω, ab aliorum Verborum Futuris deflexa, ut γαμησείω *nupturio*, a Fut. γαμήσω Verbi γαμέω: sicut Latini *Desiderativa* sua in *Urio* formant a Participio Fut. in *rus*. Dantur & *Desiderativa* in ιάω vel άω, a Nominibus orta, ut βασιλειάω *regnare cupio*, θανατάω *mori cupio*, &c. Quædam tamen in ιάω & άω terminata sunt *Frequentativa*, ut πνευσιάω, quod ARISTOTELES exponit *frequenter spiro*; sic ἰκτάω *ventito* &c. vel *Imitativa*, ut κελαινιάω *nigrico*, χιάω *nivis albedinem refero* &c. Alioquin IV) *Imitativa* desinunt in ίζω, a Nominibus deducta, ut ἑλληνίζω *Græcos imitor*. Addunt quidam terminationem άζω & ώζω, ut πατριάζω & πατρώζω *patrem imitor, patrisso*. BISCHOFFIUS l. c. & illa Verba in ίζω *Compositis* accenset, scil. ex ἵζω *colloco, sisto*, e. g. ἐλπίζω, ex ἐλπὶς & ἵζω, ille exponit *in aliqua re spem pono*: quas tamen compositiones eius in paucissima exempla quadrare, nemo non videt. Pauca vero in ίζω pro *Imitativis* usurpantur; quædam etiam vel peculiari quadam significatione, ex terminatione illa æstimanda, plane carent, vel rectius vocantur *Effectiva*. Desinunt nimirum V) Verba eiusmodi *Effectiva*, ut quidam

Grammatici vocant, vel in όω, ut δηλόω *manifestum facio, manifesto*, δȣλόω *servum facio, in servitutem redigo;* vel in αίνω, ut ξηραίνω *siccum facio, exsicco;* vel in ύνω, ut μεγαλύνω *magnum facio, magnifico*, &c. conf. STOCKII *Interpres Græc. N. T.* §. 75. 76. Quæ tria Verborum *Effectivorum* genera a Nominibus descendunt. His addenda sunt quædam in ίζω, partim a Nominibus, partim ab aliis Verbis formata, ut ὁρμίζω *navem in stationem subduco, appello*, ab ὁρμέω *stationem habeo;* πλȣτίζω *dito*, a πλȣτέω *dives sum;* καθαρίζω *purum facio, purgo*, a καθαρὸς *purus*, &c. VI) Verba *Substantiva*, in εύω desinentia, quæ indicant τὸ *esse* eius, quod *Primitivum* Nomen exprimit, ut δȣλεύω *sum* δȣ̃λος i. e. *servus* sive *servio;* βασιλεύω *sum* βασιλεὺς h. e. *rex* sive *regno*, &c. conf. PASORIS *Lexicon N. T.* in βασιλεύω & ἐχθρεύω. BISCHOFFIUS l. c. terminationem εύω esse ipsum ἔω, (Jon. pro εἰμὶ) haud abs re iudicat. Sunt denique Græcis etiam VII) Verba *Deminutiva* in ύλλω vel ίλλω, unde & Latini Verba sua *Deminutiva* in *illo* desumserunt: ut μιςύλλω *in minutas partes seco*, κωτίλλω *garrio*, ποικίλλω *variego*, &c.

§. III.

Reliqua Verbi *Accidentia* sunt *Numeri, Personæ, Modi, Tempora, Forma*, quam alii *Vocem* vocant vel *Genus*, & *Coniugatio*. *Numeros* in Verbis Græci totidem habent, quot in Nominibus: *Singularem, Dualem* & *Pluralem*. Antiquissimos Græcos *Duali* caruisse, testatur DIOMEDES Grammaticus; Aeoles saltem eosque secuti Latini *Dualem* omnino nesciunt. Apud Poëtas *Dualis* fre-

frequentissime, apud Oratores, Historicos aliosque scriptores rarius occurrit, maxime apud illos, qui post DEMOSTHENEM floruerunt, uti observat BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 282. LXX Interpretes & scriptores sacri N. T. ut & Patres Græci eodem plane abstinent. Conf. supra de *Duali* Nominum Sect. III. §. 5. *Personæ*, ut apud Latinos, tres sunt: *prima*, quæ loquitur, *secunda*, quam præsentem alloquimur, & *tertia*, de qua absente sermo fieri solet. *Modos* Græci habent quinque: *Indicativum*, *Imperativum*, *Optativum*, *Coniunctivum* & *Infinitivum*. OPITIUS in *Græcismo restituto* p. 136. annumerato *Participio*, sex computat *Modos*. Circa *Modos* illos obseruamus: 1) frequenter iis accidere *Enallagen*, ut *Infinitivi* pro *Imperativo*, e. g. ἀντιςῆναι, pro ἀντίςητε *resistite*, Matth. 5, 39. maxime apud Jones & Poëtas, conf. Sect. IX. §. 6. *Imperativi* pro *Futuro*, e. g. λύσατε *solvite*, pro λύσετε *solvetis*, Joh. 2, 19. &c. 2) Nonnunquam *Indicativum* & *Imperativum* difficulter distingui, ut ἐρευνᾶτε (τὰς γραφὰς) Joh. 5, 39. vel *Indicativus* esse potest: *inquiritis*, vel *Imperativus*: *inquirite*.

§. IV.

Tempora Græcis novem sunt: quem numerum non tam necessitas vel significationis diversitas, quam potius linguæ copia introduxit. Sunt autem illa: unum *Præsens*, quinque *Præterita*, eaque vel *Definita*, ut *Imperfectum*, *Perfectum* & *Plusquamperfectum*, (e quibus extra Indicativum *Imperfectum* sub *Præsenti*, *Plusquamperfectum* autem sub *Perfecto* continetur,) vel *Indefinita*, ut uterque *Aoristus*; & denique tria *Futura*, *primum*,

secundum & *paulopostfuturum*. *Futura* in Imperativo & Coniunctivo deficiunt. Attamen nonnulla *Futuri* I. Coniunctivi exempla tam apud scriptores profanos, quam in N. T. occurrunt, ut ἴσῃ Eph. 6, 3. δώσῃ Joh. 17, 2. βληθήσῃ Matth. 5, 25. κερδηθήσωνται 1 Petr. 3, 1. καυθήσωμαι 1 Cor. 13, 3. conf. G. PASORIS *Grammatica Graeca N. T.* p. 123. Unde SPENGLERUS in *Miscellan.* I. ex instituto disquirit: *an Graeci Futura Coniunctivi habeant?* & BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 323. 338. 349. propter exempla illa, in Paradigmate τύπτω *Futura Coniunctivi* tam in Activo, quam in Medio & Passivo reposuit, distinguendo tamen eadem ab *Aoristis* per *Jota* subscriptum, quo *Aoristi* ex eius mente carent. Anonymus tamen in *Novis Observationibus Crit.* T. III. p. 13. *Coniunctivum* apud Graecos *Futuris* omnino carere, & loca, quae prae se ferunt illa, a sciolis depravata esse, contendit: unde e. g. pro καυθήσωμαι 1 Cor. 13, 3. καυθήσομαι, pro κερδήσωνται legendum esse κερδήσονται &c. cui & FISCHERUS in *Animadvers.* ad WELLERI *Gram. Graec.* p. 174. 175. suffragatur. *Paulopostfuturum* saltem in Passivo usitatum est atque in N. T. Graeco semel tantum occurrit, scil. κεκράξονται Luc. 19, 40. quo exemplo & LXX Interpretes passim utuntur. Quia tamen κεκράξονται l. c. significationem habet *Activam*, hinc quibusdam, ut URSINO in *Gram. Graec.* p. 164. Cl. FISCHERO l. c. p. 172. Auctori *Grammaticae Graec.* Halensis p. 80. &c. videtur potius esse *Futurum* I. *Medii* a κεκράγω, unde & supersunt Verbalia κεκραγμὸς & κεκράκτης. Cur vero alibi *Paulopostfuturum* in N. T. non recurrat, LEUSDENIUS in *Philologo Hebraeo-Graeco* Diss.

Diff. X. sect. 2. exinde factum credit, quod Hebræi & Syri, quales scriptores sacri N. T. fuerint, eiusmodi *Futuro* destituantur; cum contra Lucæ stylus, qui solus illo κεκϱάξονται utitur, ad scriptorum profanorum phrasin magis accedat. De *Perfecto* & *Aoristis* Imperativi vid. seq. §. 7. BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 274. *Tempora* numerat duodecim, *Perfectum* & *Plusquamperfectum* Medii ad Activum referens, & duobus *Aoristis* alium quendam superaddens, in nonnullis saltem Verbis usitatum, ut εἶπα ab ἔπω. Contra CHR. DAUMIUS in Dissertat. de *nullitate Aoristi secundi & Futuri secundi*, numerum *Temporum* ad septem reduxit, ita ut *Aoristus* II. & *Futurum* II. non sint peculiaria *Tempora*, sed ille *Imperfectum*, hoc *Præsens* ab aliis Verbis inusitatis, e. g. ἔτυπον ex mente eius *Imperfectum* est ab inusitato τύπω, τυπῶ autem *Præsens* contractum ex inusitato τυπέω. Quam sententiam etiam sequuntur J. C. HERZOG in *Rudimentis Grammaticæ Græc.* §. 81. URSINUS in *Gram. Græc.* p. 163. MIRUS in *Institut. ling. Græc.* p. 88. seq. G. W. OEDERUS in *Chronologia Grammatica* p. 40. HERM. HARDTIUS in *Studioso Græco* p. 173. 174. Celeb. WAEHNER in *Gram. Græc.* §. 149. (a) & ex parte Auctores *Grammatices Græcæ* Marchicæ p. 516. 517. Carent itaque Græci *Gerundiis* & *Supinis*, quorum loco vel *Infinitivis* utuntur, idque vel *cum* vel *sine* Præpositione & Articulo; vel Verbalibus in τέον, quæ Grammaticis veterioribus Θετικά, i. e. *Positiva*

(a) Qui cum HARDTIO *Aoristum* illum vocat *Imperfectum Intensum*, *Futurum* autem istud *Præsens Intensum*.

va, vocantur, ut γραπτέον *scribendum*; οἰστέον *ferendum* &c. conf. pluribus GRUTERI *Thesaurus Criticus* Tom. III. p. 241.

§. V.

Maioris momenti est *Temporum* illorum *significatio*. *Præsens*, præter propriam *præsentis* notionem, nonnunquam & pro *Præterito* poni solet, ad rem præteritam veluti præsentem repræsentandam: id quod maxime in narrationibus historicis obtinet; quandoque & aliquid non *semel*, sed *semper* fieri subinnuit, notante CRUSIO in *Gram. Græc.* p. 104. *Imperfectum* non solum, ut apud Latinos, de re *incepta*, at nondum *perfecte præterita*, adhibetur, verum & interdum *iterationem* vel *continuitatem*, ut & *tarditatem* indicare, observant idem CRUSIUS l. c. p. 105. URSINUS p. 162. STOCKIUS in *Interprete Græco N. T.* §. 63. VERWEY in *Nova Via docendi Græca* p. 68. aliique. *Præteritum* exprimit tempus *perfecte præteritum*; insuper vero interdum vicem *Præsentis* sustinet, ad exprimendam *actionem solitam* vel *continuam*, ut ἤλπικεν *sperare solet*, 1 Tim. 5, 5. observantibus id OPITIO in *Græcismo restituto* p. 136. WELLRO p. 153. & GUMPRECHTO in *Florilegio Gram. Græc.* p. 392. Quinimo subinde *Præteritum*, præcipue *Medii*, etiam citra illum respectum, pro *Præsenti* ponitur, ut οἶδα *scio*: quod Jonibus sollemne fuisse, testatur EUSTATHIUS ad HOMERI *Odyss.* XIX. p. 725. conf. *Grammat. Græc.* March. p. 514.

§. VI.

Ad *Aoristorum* vero sive *Præteritorum Indefinitorum* significationem procedentibus nobis, merito

rito cum PHIL. MELANCHTHONE in *Gram. Græc.* p. 201. exclamandum eſt: *Hoc opus, hic labor eſt, ſecernere Tempora.* Plerique Grammatici, ut idem MELANCHTHON, GUILLONIUS, MART. RULANDUS, ANTESIGNANUS, CRUSIUS, GUALTPERIUS, VERGARA &c. *Aoriſtos* a *Perfecto* ſic differre voluerunt, ut *Perfectum* rem *modo factam, Aoriſti* vero rem quidem *factam*, ſed *indefinite* & citra ullum reſpectum, utrum ea *iam*, an *olim* facta ſit? exprimant: e. g. τέτυφα *iamiam percuſſi;* ſed ἔτυψα *percuſſi*, ſcil. vel iam vel dudum antea. Diſcrimen tamen illud ab auctoribus Græcis vix obſervari, exemplis ex ISOCRATE petitis oſtendit GRETSERUS in *Inſtitut. Græc.* L. I. p. 147. Contra VOSSIUS ad CLENARDUM p. 114. docet, *Aoriſtum*, pro *Perfecto* adhibitum, notare tempus *modo præteritum*, ipſum autem *Perfectum* tempus *iam dudum præter lapſum:* quo ſuppoſito (poſt CASAUBONUM in *Exercitat. Anti-Baron.* II. n. 2.) in Diſſertat. de *natali anno Chriſti* §. 28. tempus adventus magorum ex oriente definit, qui accidit Ἰησῦ γεννηθέντος i. e. *Jeſu recens nato*, Matth. 2, 1. quam ſententiam etiam ſequuntur SUICERUS in *Theſauro Eccleſ.* T. II. p. 283. & WOLFFIUS in *Curis Criticis* ad l. c. Falſam autem eſſe illam hypotheſin, vel exinde patet, quod idem Participium γεννηθεὶς de nativitate Iſmaëlis uſurpetur Gal. 4, 29. qui tamen iam dudum ante Pauli tempora natus erat, uti bene monent WELLERUS in *Gram. Græc.* p. 153. & GUMPRECHT in *Florilegio Gram. Græc.* p. 387. Cum itaque ſententiæ modo dictæ omni plane fundamento deſtituantur, hinc idem GRETSERUS l. c. rationem

nominis *Aoristorum* in eo quærit, quod non solum in Imperativo, Coniunctivo, Optativo & Infinitivo, sed & aliquando in Indicativo pro omnibus aliis Temporibus veniant. Cum GRETSERO consentiunt plurimi alii Grammatici, ut CAMBDENUS, RHENIUS, CLENARDUS, WELLERUS, URSINUS, BISCHOFFIUS, LEUSDENIUS item in *Philologo Hebræo-Græco* Diss. X. sect. 3. GLASSIUS in *Philologia S.* L. III. Tract. III. Can. 47. &c. Secus tamen iudicat Doctiss. HENR. SCHOLZIUS in Animadversionibus de *Aoristorum Græc. natura, differentia & notione*, (b) GRETSERI sententiam illam pro stratagemate quodam Jesuitico (c) habendam esse putans, quo ille recte evincere voluerit, linguas sacras tantæ auctoritatis ac certitudinis, quanta vulgo tribui illis soleat, non esse, sed instar nasi cerei, in quascunque formas flexilis. Neque tamen ipse SCHOLZIUS rem magis expedivisse videtur, statuendo, *Aoristum* II. exprimere eiusmodi actionem, *quæ statim ab agente perficitur; Aoristum* vero I. actionem, *ex parte quidem dicentis perfecte factam, ex parte autem agentis talem, quæ studio adhuc perficietur.* G. W. OEDERUS in *Chronologia Grammatica* §. 9. de utroque Aoristo ita sentit: „Aoristo *continetur res* præterita, *ita ut* „*utrumne* inchoata *sit, an* absoluta, *non designetur;* & paulo post: „Aoristus *ipsum illum articulum tem-*

(b) Quæ exstant in Celeb. BIDERMANNI *Actis Scholasticis* Vol. III. Part. 4.

(c) Erat enim JAC. GRETSERUS ex Jesuitarum ordine & Professor quondam in Academia Ingolstadiensi.

„*temporis, quo quid fit, designat; cæterum non de-*
„*finit,* infectum *ne, an* perfectum *fuerit, quo tem-*
„*pore refert accidisse.* Et denique: Aoristus *iis re-*
„*bus adhibetur, ubi ex omni præterito tempore nul-*
„*lum certum spatium intelligitur: est & illud* inde-
„finitum *quodammodo, quod commune* Aoristus *ha-*
„*bet cum* Præsenti exacto, (sic ille vocat *Præteritum*
„*Perfectum,*) *ut consuetum & sollemne quid sonet.*
Conf. pluribus G. H. URSINI Epistola de *significatione Aoristorum*, eius *Lexico Græco-Germanico* subiecta.

§. VII.

Haud secus incertum est, quid discriminis intersit inter *Futurum* I. & II. GUMPRECHT quidem l. c. p. 383. utrumque sic ab invicem differre coniicit, ut, cum *Paulopostfuturum* tempus *proxime instans* notet, *Futurum* II. tempus *paulo remotius*, *Futurum* I. autem *remotissimum* exprimat; fatens tamen, discrimen illud rarius observari. Contra SANCTIUS in *Minerva* Futurum II. dicit *Futurum remotum.* Aliis vero alterutrum *Futurum* superfluum linguæque copiæ tribuendum videtur. Pro *Paulopostfuturo* in N. T. ubi unicum saltem eius exemplum occurrere diximus præced. §. 4. adhibetur vel *Præsens*, ut Matth. 3, 10. Luc. 12,20. vel aliud *Futurum*, ut Luc. 18,31. Denique id lingua Græca plane sibi singulare habet, quod etiam Imperativo suum sit *Præteritum* & geminus *Aoristus*, ubi temporis *præteriti* notio commode locum habere non videtur: quia, quicquid imperatur aut petitur, tempore vel *præsenti* & *futuro*, non vero *præterito* fieri potest. GRETSERUS in *Institut. ling. Græc.* L. I. p. 160.

WELLERUS in *Gram. Græc.* p. 188. & LEUSDENIUS in *Philologo Hebræo-Græco* Diss. X sect. 4. non significationis discrimini, sed copiæ linguæ id tribuunt. Quoddam tamen discrimen notavit APPOLLONIUS DYSCOLUS, vetus Grammaticus, de *Constructione Partium Orationis* L. III. c. 24. ut e. g. γράφε exprimat, *scribenda esse, quæ nondum scripta sunt*; contra γράψον non solum *scribi* iubeat, *id quod nondum scriptum est*, sed & *ut citius scribatur*, man solte es schon geschrieben haben. Plura de *Temporibus* Verborum eorumque significatu dabunt G. W. OEDERUS in *Chronologia Grammatica*, & SAM. CLARKIUS ad HOMERI *Iliad.* I. 37.

§. VIII.

Restat *Forma* vel, ut alii Grammatici vocant, *Genus* sive *Vox* Verbi, qua illud vel *Activum* est, ut τύπτω, vel *Passivum*, ut τύπτομαι, vel *Medium*, ut τύπτομαι. *Forma Activa* quandoque significationem mere *Neutralem* habet, ut χαίρω *gaudeo*, & *Substantivam*, ut ἄρχω *sum*, maxime in εύω terminata, conf. supra §. 2. *Forma Passiva* interdum *Active* significat, maxime ubi *Forma Activa* deficit, ut δέδεκται *recepit*, Act. 8, 14. ἤρνηται *abnegavit*, 1 Tim. 5, 8. &c. qua in re usus spectandus est. Huiusmodi Verba quidam Grammatici, ad Latinorum exemplum, *Deponentia* vocare solent. Maximam vero difficultatem obiicit *Forma Media*, quæ vulgo sic dicta putatur, tum quia eius Tempora partim iuxta *Formam Activam*, partim iuxta *Passivam* flectuntur: ut adeo quasi *medium* inter utramque teneat; tum quia mox *Active*, mox *Passive* significat, mox *Actionem* & *Passionem simul*, adeo-

adeoque *Actionem Reciprocam* exprimit, e. g. *ἠσπάσατο salutavit*, Luc. 1, 40. *Active* sumitur; sed *ἐβαπτίσαντο baptizati sunt*, 1 Cor. 10, 2. *Passive* significat; & *ἀπήγξατο strangulavit se*, Matth. 27, 5. significationem habet *Reciprocam*, ut Hebræorum Coniugatio *Hithpahel*. Neque tamen id eo sensu intelligendum est, quasi Verba *Media* semper perque omnia Tempora pro lubitu *Active* vel *Passive* vel *Reciproce* usurpari possent, ut quidam putarunt; sed ubique spectandus est usus, quem vero hac in parte admodum variabilem reperias: unde Grammaticorum nonnulli, certas regulas de significatione *Formæ Mediæ* constitui posse, desperant, ut CANINIUS in *Hellenismo* p. 293. WELLERUS p. 220. KOEBERUS in *Grammatica Golio-Welleriana* p. 139. &c. Sunt, qui diversam illam significationem in Præsenti obtinere, Præterita vero semper *Active* accipi, volunt; quod tamen CANINIUS & WELLERUS l. c. recte negant. BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 330. 331. Præterita *Medii*, uti supra dictum §. 4. ad *Activum* refert, Præterita vero *Passivi*, quæ *Active* significant, cuius rei exempla quædam modo adduximus, eidem sunt Præterita *Medii*. Ulterius procedit MIRUS in *Institut. ling. Græc.* p. 84. seq. qui omnia Verba *Media* eliminata vult, quæ ipsi mere *Deponentia* sunt: quia terminationem quidem *Passivam*, significationem vero *Activam* habeant; Præterita vero *Medii*, terminatione quippe *Activa*, cum BISCHOFFIO similiter ad *Activa* refert. Conf. LAUR. REINHARDI *Histor. ling. Græc.* c. 6. §. 6.

§. IX.

§. IX.

Nemo vero in ſignificationem Verborum *Mediorum* accuratius inquiſivit, quam ERASMUS SCHMIDIUS, LUDOLF. KÜSTERUS, JOH. CLERICUS & Celeb. CHRIST. WOLLIUS. SCHMIDIUS quidem iam an. 1706. Wittebergæ Programma de *Verbis Græcorum Mediis* evulgavit, quo oſtendit, ea ſic dici, quia nunc *Active*, nunc *Paſſive* ſignificent. KÜSTERUS vero an. 1714. Pariſiis de *vero uſu Verborum Mediorum apud Græcos eorundemque differentia a Verbis Activis & Paſſivis* Diſſertationem edidit, an. 1717. Lugduni Batavorum deinde recuſam. In Diſſertatione illa KÜSTERUS Verbis *Mediis* ſignificationem quandam *Reflexivam*, ut vocat, ſive *Reciprocam* vindicare ſtuduit, qua indicetur, quid quis ſibi ipſi faciat vel ab aliis fieri patiatur. . Iſtam KÜSTERI Diſſertationem JOH. CLERICUS in *Bibliotheque ancienne & moderne* Tom. V. Part. II. p. 237. ſeq. annotationibus inſtruxit, quibus KÜSTERI ſententiam oppugnavit & dari Verba *Media* plane negavit, quæ ille partim ad *Formam Activam*, partim ad *Vocem Paſſivam* refert. Tres illas Diſſertationes SCHMIDII, KÜSTERI & CLERICI, WOLLIUS an. 1733. Lipſiæ coniunctim recudi curavit, nova addita Diſſertatione, qua ipſe CLERICUM refutat, KÜSTERUM vero defendit eiusque ſententiam pluribus exemplis, tam ex ſcriptoribus profanis, quam ex N. T. petitis, confirmat. Longum foret, excerpta quædam ex quatuor Diſſertationibus illis in medium proferre, quæ potius totæ legi merentur, KÜSTERUM certe & WOLLIUM ſignificatio-

cationem Verborum *Mediorum Reflexivam* five *Reciprocam* fatis fuperque demonftraffe, & WOLLIUM præterea multis exemplis, vulgo *Paffive* explicari folitis, fignificationem *Reflexivam* fatis feliciter reftituiffe, nemo facile negaverit. Equidem FRID. STRUNZIUS de *vero ufu Verborum Mediorum* contra KÜSTERUM, DRESIGIUS autem de *Verbis N. T. Mediis*, promiferunt Differtationes; quarum tamen neutra lucem vidit publicam.

CAPUT II.

DE VERBI CONJUGATIONE INSPECIE.

§. X.

Verbi flexio per fupra memoratos *Numeros, Perfonas, Modos, Tempora* & *Formas* five *Voces*, dicitur *Coniugatio:* ubi ftatim fubnafcitur quæftio: quotnam Græcis fint *Coniugationes?* Grammatici veteriores ad unum omnes tredecim numerarunt *Coniugationes*, nimirum fex *Barytonas*, tres *Circumflexas* & quatuor in μι terminatas. *Barytonæ* illis dicuntur, quæ in ω, cum Accentu *Gravi* fubintellecto, defmentia, (conf. Sect. II. §. 28.) litteris faltem *characterifticis* differunt. Litteræ *characterifticæ* funt, quæ Vocalem Verbi ultimam ω proxime præcedunt: ut λείβω habet ω *Barytonon* litteramque *characterifticam*

cam 6. *Circumflexæ* ſunt, quæ terminantur in ω, ex Contractione Accentu *Circumflexo* notatum, ut ποιῶ contract. ex ποιέω. De utroque *Coniugationum* genere, ut & de illis in μι, ſtatim pluribus diſpiciemus. Cum vero tanto *Coniugationum* numero, notante RUMPFFIO in Diſſert. de *nimio in linguis ſtudio* §. 29. iuventus haud parum a perdiſcenda lingua Græca deterreatur, LAUR. RHODOMANNUS in *Tabulis Græcis Etymologicis* primus monſtravit, qua ratione omnes tredecim *Coniugationes* ad unam reduci queant: cuius exemplum ſecutus WELLERUS in *Grammatica Græca*, omnibus Verbis in ω terminatis, tam *Barytonis* quam *Circumflexis*, unam eandemque *Coniugationis* formam tribuit; Verba vero in μι, in Præſenti ſaltem Activi a communi coniugandi norma abeuntia, *Anomalis* accenſet. Argumenta, quibus novam hanc ſententiam ſuam confirmat WELLERUS, ex Præfatione *Grammaticæ* eius ſupra Sect. III. §. 8. repetivimus. Illa WELLERI methodus haud paucis recentiorum Grammaticorum arriſit, ut OPITIO, BISCHOFFIO, HERM. HARDTIO, aliisque. Quia vero, iudice MIRO in *Inſtitut. ling. Græc.* p. 80. haud exigua exinde confuſio exorta eſt, iuventuti ſtudioſæ maximum pariens tædium, hinc alii Grammatici, univerſam *Coniugationum* rationem magis explanaturi, vel duas *Coniugationes*, alteram Verborum in ω, alteram Verborum in μι, fecerunt, ut VERWEY, URSINUS, MIRUS l. c. Auctores *Grammaticæ Græc.* Marchicæ &c. vel tres ſtatuerunt, primam Verborum *Barytonorum* in ω, ſecundam *Circumflexorum*, & tertiam Verborum in μι, ut STOCKIUS in *Litteratore Græco*,

Græco, Auctor *Novæ Methodi discendi linguam Græcam* &c. Et hæc ipsa methodus etiam nobis quam maxime probatur: quia media via incedens, numerum *Coniugationum* neque nimis anguste contrahit neque nimis prolixe extendit.

§. XI.

Juxta methodum itaque illam primo nobis agendum est de Verbis *Barytonis*, quæ loco sex *Coniugationum*, pro litterarum *characteristicarum* discrimine, commode in totidem classes, unde specialior Temporum flexio dependet, dividi possunt. Prima classis *characterem* habet primam Alphabeti Consonantem, ϐ, huiusque cognatas, π & φ, nec non πτ: ubi tamen τ non pro littera *characteristica* habenda est, sed, ut quidam volunt, pro mere *Epenthetica*, unde & in plurimis Temporibus abiicitur: quæ causa est, cur Grammatici nonnulli pro vulgari Paradigmate τύπτω aliud substituere malint. Prima hæc Verborum classis in Fut. I. in ψω, in Perfecto in φα terminatur. Secunda *Barytonorum* classis *characterem* habet secundam Alphabeti Consonantem, γ, eiusque cognatas, κ, χ & κτ, ubi τ similiter ad litteras *characteristicas* non pertinet. Hæc in Fut. I. in ξω, in Perfecto in χα definit. Tertiæ classi littera *characteristica* est tertia Alphabeti Consonans, δ, ut & ϑ atque τ, in Fut. I. σω, in Perfecto κα. Quarta *Barytonorum* classis quartam Alphabeti Consonantem, ζ, habet *characteristicam*, nec non σσ vel Attice ττ, (d) in

(d) Pro ττ in codicibus antiquis subinde scriptum inve-

in Fut. I. ξω vel σω, in Perf. χα vel κα. Quinta classis *characteristicas* habet λ reliquasque Consonantes *Liquidas*, μ, ν, ρ, item μν, quæ, ut Consonantes *immutabiles*, (conf. Sect. II. §. 20.) in Fut. I. manent, excepto ν ex μν, ad *characteristicas* quippe non pertinente. In Perfecto habet κα. Ultima *Barytonorum* classis est, cui pro *characteribus* sunt Vocales, ι, υ, ω, & Diphthongi, in Fut. I. σω, in Præt. κα. Specialem vero omnium Temporum eiusmodi Verborum ab invicem deductionem & flexionem, ubi præsertim Syllabæ penultimæ varie mutari solent, ad institutiones Grammaticas remittimus.

§. XII.

Maximi in flexione Verborum momenti est *Augmentum*, ut Grammaticis dicitur, quo Tempora Indicativi, & Præterita quoque extra Indicativum, ab initio incrementum quoddam capiunt. Dividitur autem in *Syllabicum* & *Temporale*. *Augmentum Syllabicum* est, quo Tempora Verbi integra syllaba augentur, præposita Vocali ε, ut γράφω, ἔγραφον. Quoties istud ε Syllabam brevem vel ancipitem constituit, toties in Perfectis ante illud prima Verbi Consonans repetitur, ut γέγραφα: ita tamen, ut loco litteræ *Adspiratæ* adhibeatur *Tenuis*, ut κέχρικα pro χέχρικα. MIRUS l. c. p. 93. hoc Præteritorum *Augmentum* nudam *Reduplicationem* dicere mavult. *Augmentum Temporale* dici-

inveniri τγ, ut ὀρύτγω pro ὀρύττω, observat VERGARA in *Gram. Græc.* L. IV. p. 116.

dicitur, quo *Tempus* sive *Quantitas* primæ Verborum Syllabæ, a Vocali vel Diphthongo mutabili inchoatæ, augetur vel mutatur, ita ut α & ε in η, ο vero in ω producatur, Jota vero subscribatur, ut ἀκούω, ἤκουον, οἰκίζω, ᾤκιζον &c. Exceptiones hic intercedentes, maxime ex Dialectis, apud Grammaticos reperias. Id saltem monemus: I) Verba *Composita* partim ab initio, partim in medio, partim utrobique augeri: qua de re SYLBURGIUS ad CLENARDI *Grammaticam Græc.* p. 450. seq. omnium copiosissime agit. II) Germanis quoque eiusmodi esse *Augmentum*, in Imperfecto quidem vel *Syllabicum* te, ut ich liebte; vel *Temporale*, e. g. ich las, trug &c. vel utrumque simul, ut ich konte; in Præterito autem & Supino *Syllabicum* ge, ut geliebet. Sic quoque Latini quibusdam Præteritis *Augmentum Syllabicum* præmittunt, ut *cado*, *cecidi*, *fallo*, *fefelli* &c. notante GRETSERO L. II. p. 173. III) AUG. BISCHOFFIUM in *Cadmo p.* 280. unicum saltem admittere *Augmentum*, cui *Augmentum Temporale* mera est *Contractio*, ut e. g. ἤκουον contractum sit ex ἐάκουον &c. conf. Sect. II. §. 18. IV) Neminem hanc de *Augmento* Verborum doctrinam exactius explicasse, quam GUMPRECHT in *Florilegio Gram. Græc.* p. 429. seq.

§. XIII.

Pari ratione Verba *Circumflexa* loco trium *Coniugationum* in totidem classes dispesci possunt: quarum primam constituunt Verba in έω terminata, ut ποιέω, secundam desinentia in άω, ut βοάω, tertiam finita in όω, ut χρυσόω. Tribus his Ver-

 borum

borum exemplis, ποιέω, βοάω & χρυσόω, Grammatici plerumque pro Paradigmatibus utuntur, quibus tamen GRETSERUS L. I. p. 202. faciliora & aptiora φιλέω, τιμάω & δηλόω substituenda praecipit. Consultius quoque VOSSIUS ad CLENARDUM p. 153. iudicat, si Grammatici veteriores Verbis in άω, naturae ordinem secuti, primum tribuissent locum. Causa vero, cur Verba in έω praemitterent, procul dubio fuit, quod Contractio Verborum in έω facilior sit atque simplicior, monente URSINO in *Grammat. Graec.* p. 244. Maximum Verborum *Circumflexorum* momentum situm est in *Contractione;* cum alioquin cum *Barytonis* formatione & flexione plane congruant. Habet autem illa *Contractio* tantum locum in Praesenti & Imperfecto: qua de re plura dabunt Grammatici.

§. XIV.

Ad Verba in μι quod attinet, hanc terminationem in μι, aliasque illorum Verborum flexiones plane insolitas, nonnulli ex vetere lingua Scythica repetunt, ut TANAQUILLUS FABER apud MORHOFIUM in *Polyhist.* T. I. L. II. c. 9. BISCHOFFIUS p. 260. L'OESCHERUS in *Jone* p. 87. aliique, conf. Sect. I. §. 2. & 8. Certe in lingua Persica, quae cum Graeca multa habet communia (e) & ipsa quoque ex lingua Scythica or-

(e) De linguae Persicae cum Graeca & Germanica cognatione vid. quae notavimus in *Onomastico V. T.*

ortum ducere creditur, Syllaba *mi*, Verbis præfixa, Præsens & Imperfectum Indicativi format, vid. LUD. de DIEU *Rudiment. ling. Perſ.* p. 10. Cæterum hæc Verba in μι oriuntur ex Verbis in έω, άω, όω & ύω, etiam alioquin inuſitatis, idque ad evitandum concurſum Vocalium; conf. Sect. III. §. 11. Sunt autem illa vel *Regularia* vel *Irregularia*. *Regularium* Grammatici veteriores quatuor conſtituerunt *Coniugationes*, ut ſupra memoratum §. 10. quas vero in totidem claſſes dividere malumus. Prima claſſis deſcendit a Verbis in έω, ut τίθημι a θέω, ſecunda a Verbis in άω, ut ἵστημι a στάω, tertia a Verbis in όω, ut δίδωμι a δόω, quarta denique a Verbis in ύω, ut ζεύγνυμι a ζευγνύω: ita ut 1) ω mutetur in μι, 2) littera *characteriſtica* ſive Vocalis brevis ante ω producatur in longam, & 3) in tribus claſſibus prioribus præponatur *Reduplicatio*. Iſta *Reduplicatio*

V. T. p. 566. Auctoribus ibi citatis addi poſſunt FABRICIUS in *Biblioth. Græc.* Vol. X. p. 99. 100. WARNERUS de *Proverbiis Perſ.* p. 19. EGENOLFUS in *Triade Diſſertat.* p. 10. CHARDIN in *Itinerar.* P. V. p. 40. MUHLIUS de *origine linguarum* p. 130. ſeq. MORHOFIUS de *lingua & Poëſi German.* P. I. c. 2. p. 39. ſeq. SALMASIUS in Præfat. ad *Cebetis Tabulam* & de *lingua Helleniſtica* p. 378. ſeq. HASENMÜLLERUS in Diſſ. de *LL. OO.* §. 43. HERM. HARDTIUS in *Syria Græca* p. 76. HENSELIUS in pec. Diſſert. & in *Synopſi univerſæ Philologiæ* p. 437. ſeq. &c.

duplicatio eſt quaſi illorum Verborum *Augmentum* quoddam *Syllabicum*, eſtque vel *Propria* vel *Impropria*. *Reduplicatio Propria* eſt, qua prima Verbi Conſonans repetitur, addita ſimul Vocali Jota; ſic tamen, ut loco litteræ *Adſpiratæ* reponatur *Tenuis*, ut τίθημι a θέω: qualis *Reduplicatio* in Verbis a Conſonante inchoatis obtinet. *Impropria* eſt, ſi ſola Vocalis Jota præmittitur, quod fieri ſolet in Verbis vel a στ vel a Vocali inchoatis, ut ἵστημι a στάω, ἵημι ab ἕω &c. Utraque *Reduplicatio* tantum in Præſenti & Imperfecto locum habet. Exceptiones vero hic occurrentes, ut & ipſa Verborum illorum in μι *Coniugatio*, ex Grammatica repetendæ ſunt. *Irregularia* ſive *Anomala* Verba in μι ſunt, quorum *Coniugatio* a quatuor claſſium, modo dictarum, flexione hinc inde recedit: quo pertinent εἰμὶ *ſum*, & εἶμι *eo*, ἵημι *mitto*, & ἵημι *cupio*, ἴσημι *ſcio*, φημὶ *dico*, Media item ἧμαι *ſedeo*, & κεῖμαι *iaceo*, quorum Paradigmata exhibent libelli Grammatici. Præter illa Græci habent plura alia *Defectiva* & *Anomala* in μι, quorum catalogum videas in *Grammatica Græca* Marchica pag. 668. ſeq.



SECTIO

SECTIO V.

DE PARTIBUS ORATIONIS INFLEXIBILIBUS SIVE PARTICULIS GRÆCÆ LINGUÆ.

SECTIO V.

DE PARTIBUS ORATIONIS INFLEXIBILIBUS SIVE PARTICULIS GRÆCÆ LINGUÆ.

CAPUT I.

DE ADVERBIO.

§. I.

Pertractatis *Partibus Orationis Flexibilibus*, sequuntur *Inflexibiles*, quas uno nomine vocant *Particulas*. Quanti momenti in explicando N. T. sint *Particulæ*, ostendit J. A. OSIANDER in Differt. de *momento Particularum Græcarum in exponendo N. T.* Sunt autem *Particulæ* illæ: *Adverbium*, (quo etiam refertur *Interiectio*,) *Præpositio* & *Coniunctio*. Circa *Adverbium* spectanda sunt 1) eius *significatio* & *usus*, variæque inde pendentes eiusdem *species*, 2) eius *origo*, & 3) *Comparatio*. Quemadmodum *Adverbia* Latinorum multifarios habent *significatus:* ita & *Adverbia* linguæ Græcæ diversimode usurpantur; cuius rei tamen non tam libelli Grammatici, quam Lexica copiam nobis faciunt. Pro diversis vero eorum *significatibus* & ipsa in varias *classes* sive *species* dispescuntur, quæ, monentibus GRETSERO, WELLERO, OPITIO aliisque Grammaticis, ex

linguæ Latinæ analogia facile definiuntur: quare illis multum immorari, BISCHOFFIO in *Cadmo* p. 359. inutile plane videtur. Latinis itaque cum viginti duæ vel viginti tres *ſpecies* ſint *Adverbiorum*, totidem *claſſes Adverbiorum* Græcorum commode quoque conſtituuntur. Sunt tamen, qui plures *Adverbiorum* Græc. *ſpecies* numerant, ut CRUSIUS in *Gram. Græc.* p. 264. ſeq. viginti ſex, GUMPRECHT p. 782. ſeq. triginta unum computat, &c. Quinimo ſi *Interiectiones* quoque *Adverbiis* accenſeantur, tunc numerus longe maior efficitur. Quædam *Adverbia* ſignificationes habent plane diverſas, ad diverſas adeo *claſſes* referenda. Cæterum varium eorum *ſignificatum* & *uſum* pluribus exponunt MATTH. DEVARIUS de *Græcæ linguæ Particulis*, FRANC. VIGERUS de *præcipuis Græcæ dictionis Idiotiſmis* c. 7. ſeq. & quod ad N. T. inſpecie attinet, CHR. STOCKIUS in *Interprete N. T.* c. 5. ſeq.

§. II.

Loco *Adverbiorum* haud raro aliæ *Orationis Partes* veniunt: ut I) *Articuli*, e. g. τῇ, ᾗ, τῷ &c. II) *Nomina*, eaque tam *Subſtantiva*, maxime Dativi & Accuſativi Caſus, e. g. κομιδῇ *ſtudioſe*, *prorſus*, ἀρχὴν *primo* &c. (quemadmodum apud Hebræos, ut צדק *iuſte*, Proverb. 31, 9. מישרים *rectiſſime*, Pſ. 75, 3. &c.) quam *Adiectiva* Neutra, non tantum in ſing. ſed & in plur. e. g. ὀξὺ *acute*, πρῶτον & πρῶτα *primum* &c. quod & Latini imitantur, dicentes e. g. *torva*, *acerba*, pro *torve*, *acerbe* &c. III) *Verba* in Imperativo, ut ἄγε, ἄγετε, φέρε, ἴθι &c. quo caſu ſubinde Accentus mutari ſolet,

folet, ut σῖγα pro σίγα, (ex σίγαι,) ἰδὲ pro ἴδε &c. & fic in Adiectivis, ut ἄληθες *verè*, *certo*, pro ἀληθὲς, &c. conf. *Grammatica Græca* Marchica p. 767. E contrario *Adverbia* fæpius aliarum *Orationis Partium* vicem obeunt: ut I) *Nominum* Adiectivorum, præpofito Articulo, e. g. ὁ ἔσω *internus*, ἡ σήμερον *hodierna*, &c. II) *Præpofitionum*, ad quarum exemplum etiam Genitivum poft fe adfcifcunt, præfertim *Adverbia Loci*. Talia funt ἕνεκα five ἕνεκεν, ἄχρι vel ἄχρις, μέχρι vel μέχρις, ἔναντι, πέραν, ἄνευ, χωρὶς &c. quæ GUMPRECHT & MIRUS exinde *Præpofitionalia*, Auctores vero *Grammatices Græcæ* Marchicæ *Improprias Præpofitiones* vocant.

§. III.

Originem Adverbiorum quod concernit, ea ratione *Figuræ* vel *Simplicia* funt, ut αὔριον *cras*, vel *Compofita*, ut ἐπαύριον *perendie*; ratione vero *Speciei* vel *Primitiva*, ut νῦν *nunc*, vel *Derivatiua*, ut κακῶς *male*. *Derivativa* hæc formantur vel ab *Articulis*, ut ὅθεν ab ὁ; vel a *Pronominibus*, ut ὅτω five ὅτως ab ὅτος; vel a *Nominibus*, iisque tam *Subftantivis*, ut ἀγεληδὸν ab ἀγέλη, quam *Adiectivis*, ut σοφῶς a σοφὸς; vel a *Verbis*, ut κρύβδην a κρύπτω; vel a *Participiis*, ut ὄντως ab ὤν; vel a *Præpofitionibus*, ut ἄνω ab ἀνὰ; vel ab aliis *Adverbiis*, ut κάτωθεν a κάτω. Infpecie circa *Adverbiorum Derivationem* notamus: I) pleraque *Adverbia Qualitatis* terminari in ως, formata ab Adiectivorum Genitivis plur. mutato ν in ς, ut a κακῶν fit κακῶς, ab ἡδέων defcendit ἡδέως &c. II) Certas quasdam litteras *Adverbiis*

 præfi-

præfigi, quibus eorum significatio variatur: ut τ facit *Adverbia Redditiva*, e. g. ἡνίκα notat *cum*, sed τηνίκα *tum*; ὁσάκις *quoties*, τοσάκις *toties*; ὅθι *ubi*, τόθι *ibi*; ὅτε *cum*, τότε *tum* sive *tunc* &c. π *quæstionibus* inservit, ut ὡς *ut*, sed πῶς *quomodo?* ὁσάκις *quoties*, (citra *quæstionem*,) ποσάκις *quoties?* ὁ ex *Interrogativis* facit *Indefinita*, ut ποσάκις *quoties?* ὁποσάκις *quotiescunque*, &c. III) Multa *Adverbia Loci* per certas Syllabas, vocibus a fine adiectas, exprimi: ut quæ *in loco* significant, per Syllabam θι, e. g. οὐρανόθι *in cælo*, ἀγρόθι *in agro*; vel per σι, Nominibus plur. *urbium* addi solitum, e. g. Ἀθήνησι *Athenis*, Θήβησι *Thebis*, &c. quæ tamen LAMBERTO BOS de *Ellipsibus Græc.* p. 321. (edit. *Schœtgen.*) potius sunt Dativi vel Ablativi Jonici. Quidam superaddunt Syllabas χοῦ & χῆ, ut πανταχοῦ *ubique*. Quæ notant *de loco*, desinunt in θεν, ut οὐρανόθεν *cælitus*, πάντοθεν *undiquaque*, Ἀθήνηθεν *Athenis* &c. *ad locum* vero, in δε, σε & ζε, ut οὐρανόνδε & οὐρανόσε *in cælum*, Ἀθήναζε *Athenas* &c. Quæ denique significant *per locum*, similem cum Dativis sing. fœmin. habent terminationem, e. g. πῇ, ὅπη &c. & ut plurimum revera eiusmodi sunt Dativi, e. g. ταύτῃ & τῇδε *hac*, ἑτέρᾳ *altera*, scil. *via*, &c.

§. IV.

Multa quoque *Adverbia*, sicut apud Latinos, per *Gradus Comparationis* flectuntur. Quæcunque enim *Adverbia* a Nominibus Adiectivis descendunt, eorundem quoque sequuntur *Comparationem*; atqui *Comparatio* Adiectivorum vel *Regularis* est, in τερος nempe & τατος: ergo etiam *Adverbia*, exinde

inde derivata, in *Comparativo* desinunt in τέρως, in *Superlativo* in τάτως, ut σοφωτέρως, σοφωτάτως. Vel *Comparatio* Adiectivorum est *Irregularis*, in ίων & ιστος: quomodo *Adverbia* in *Comparativo* terminantur in ιόνως, in *Superlativo* in ίστως, ut ταχιόνως, ταχίστως; sæpius quoque cum Neutro Adiectivorum conveniunt, ut πλεῖον, πλεῖστον, κάλλιον, κάλλιστον &c. vel potius revera nihil aliud sunt, quam ipsa illa Neutra; haud secus ac apud Latinos *melius*, *potissimum* & similia: unde & in Pluralem flecti solent, ut τάχιστα *celerrime*, πλεῖστα *plurimum* &c. *Adverbia* vero, ab Adiectivis non derivata, *Comparativum* formant in τέρω, *Superlativum* in τάτω, ut ἀνωτέρω, ἀνωτάτω, ab ἄνω.

§. V.

Ad *Adverbia* quoque, ut supra dictum, a plerisque Grammaticis referuntur *Interiectiones:* quarum significatio similiter varia est. Dantur enim *Interiectiones admirandi, exclamandi, dolendi, comminandi* &c. *Interiectionibus* vero vel *Adverbiis* insuper annumeranda sunt vocabula ὀνοματοποιητικὰ sive a *sono facta*, Comicis præsertim frequentata: qualia sunt I) *soni animalium*, ut κοΐ κοΐ *porcellorum*, βῆ βῆ *ovium*, βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ *ranarum* &c. II) *soni rerum inanimatarum*, ut θρετταναλὸ *sonus citharæ Cyclopis;* III) *voces hominum:* ut *ridentis*, ἆ ἆ, βᾶ, ἰεῦ; *hortantis*, ut φίττα; *dolentis*, ut ἰὼ, ὀττοτοῖ, βαβαιὰξ, ἰατταταὶ, ἰατταταιὰξ; *mussitantis*, ut μῦ μῦ; *iocantis* & *subsannantis*, ut βομβὰξ, βομβαλοβομβὰξ, ἱππαπαὶ &c. *remigum* & *nautarum mutuo sibi acclamantium*, ut ἄῤῥυ, ῥυππαπαὶ, ὠὸπ, ὠοπὸπ,

ὀποπὸπ; *paſtorum pecora propellentium*, σίττε vel σίττα; *opilionum*, μαὶ, ψὸ, ϐὴ; *ſubulcorum*, χύῤῥε vel χύῤῥα; *curſores emittentis e carceribus*, ὠὸψ; *nidorem aſſæ odorantis*, ὐ ὖ: unde elegans ille ARISTOPHANIS verſiculus: ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ, ὖ ὖ; & denique *infantium*, *parentes & ſenes alloquentium*, ἄππα, πάππα, μάμμα, τέττα, ἄττα &c.

CAPUT II.

DE

PRÆPOSITIONE.

§. VI.

Secunda *Pars Orationis Inflexibilis* eſt *Præpoſitio*, eaque vel *Separabilis* vel *Inſeparabilis*. *Præpoſitiones Separabiles* vel *monoſyllabæ* ſunt, ut εἰς, ἐν, ἐκ vel ἐξ, πρὸ, πρὸς, σὺν; vel *diſſyllabæ*, ut ἀμφὶ, ἀνὰ, ἀντὶ, διὰ, ἐπὶ, κατὰ, μετὰ, παρὰ, περὶ, ὑπὲρ & ὑπό. Dicuntur autem *Separabiles*, quia extra Compoſitionem cum aliis vocibus *ſeparatim* quoque uſurpantur. Sic vero Caſus Nominum poſt ſe adſciſcunt. Nonnullæ enim *Genitivum* regunt, ut ἐκ vel ἐξ, ἀντὶ, ἀπὸ & πρὸ; vel *Dativum*, ut ἐν & σὺν; vel *Accuſativum*, ut ἀνὰ & εἰς. Quædam pro ſignificationis diſcrimine & *Genitivum* & *Accuſativum* regunt, ut

διὰ,

διὰ, κατὰ, μετὰ, ὑπὲρ; aliæ denique tres Casus, *Genitivum*, *Dativum* & *Accusativum*, adsciscunt, ut ἀμφὶ, ἐπὶ, παρὰ, περὶ, πρὸς & ὑπό.

§. VII.

Quædam *Præpositiones Separabiles* similis significationis esse videntur, quæ tamen revera multum differunt, e. g. ἀπὸ & ὑπὸ significant *a* vel *ab*, sed respectu plane diverso: de quo significationum discrimine pluribus GUMPRECHT in *Florilegio Grammat. Græc.* p. 816. seq. Varios *Præpositionum significatus* in N. T. exponit STOCKIUS in *Interprete* N. T. §. 190. seq. conf. & J. A. OSIANDRI Dissertatio, supra laudata §. 1, De *Præpositionis* ἐπὶ significatu cum Casu quarto peculiaris exstat J. C. HERZOGII Dissertatio. In Compositione cum aliis vocibus *Præpositiones* illæ ut plurimum significationem eandem retinent, quam habent, quoties separatim ponuntur: qua de re ex instituto in *Onomastico Græco* suo tempore tractabimus. Quandoque separatim quidem ponuntur, nec tamen Casum Nominis post se habent, quo pacto *Adverbialiter* significant: ut ὑπὲρ *excellentius*, 2 Cor. 11, 23. sicut Latinorum *circum*, *post*, *ante* &c. Frequentius id accidit *Præpositioni* σὺν, quæ *absolute* & *Adverbialiter* sic adhibita, Accusativum regere videtur; qui tamen non ad σὺν, sed ad subsequens Verbum, vel ad aliam *Præpositionem*, per *Ellipsin* omissam, referendus est: ut πτηξάτω δὲ ἔθνη σὺν δύναμιν ἀνίκητον &c. 3 Maccab. 6, 13. Maxime vero sic σὺν constructum occurrit in Ecclesiastæ Versione Græca: qua de re

re vid. J. B. BERNHOLDI Differt. de *ufu Particulæ σὺν cum Accufativo atque adeo nullo Cafu.* Interdum *Præpofitiones Separabiles* pro Verbis ex εἰμὶ compofitis veniunt: quo cafu & Accentus mutari folet, ut ἔνι pro ἔνεστι, ἄπο pro ἄπεστι, μέτα pro μέτεστι, πέρι pro περίεστι &c. Eandem Accentus mutationem etiam patiuntur, poftpofitæ vel Verbis, quibuscum componuntur, ut λύσῃ ἄπο pro ἀπολύσῃ, apud HOMERUM *Iliad.* XIV. 7. vel Cafibus, quos regunt, ut Θεοῦ πάρα, Πάρνασσον κάτα &c. Sed ἀνὰ & διὰ fic Accentum fuum retinent, ut differant a Vocativo ἄνα, (ab ἄναξ *rex,*) & Accufativo Δία, a Ζεὺς *Jupiter.*

§. VIII.

Præpofitiones Infeparabiles vocantur, quæ nunquam feparatim ponuntur, fed femper aliis cum vocibus componuntur. Aliæ illarum notionem habent *intenfionis*, aliæ *privationis.* Prioris generis funt αρι, βρι, δα, ερι, ζα, λα & λι: ut ἀρίδηλος *valde manifeftus*, βριήπυος *valde clamans*, δαφοινὸς *valde ruber*, ἐρίδουπος *valde fonans*, ζάκοτος *valde iracundus*, λάμαχος *bellicofus*, λιπόνηρος *valde improbus.* Addunt quidam ἄγα, idem fignificans cum ἄγαν, ut ἀγάκλυτος *prænobilis*; ut & βου, e. g. βούπαις *grandis puer.* Eft autem illud βου defumtum a Nomine βοῦς *bos*, & pariter rem intendit: (unde & Latinis *bumamma* i. e. *magna mamma*, uvæ maioris fpecies,) ficut illius Synonymum ταῦρος, tefte EUSTATHIO, notat πάντα τὰ μεγάλα καὶ βίαια, *omnia magna & valida*; & Nomen ἵππος in Compofitione fignificationem auget, ut

ἱπ-

ἱππόπορνος magnum ſcortum; & Germani noſtri vocabulum Pferd in Compoſitis ſic uſurpare ſolent, ut Pferd-Arbeit pro *labore magno*, notante Cl. FISCHERO in *Animadverſ.* ad WELLERI *Gram.* p. 290. & ab Hebr. בָּקָר, *bos*, fit Arab. *baker* i. e. *magnus*. Conf. SALMASII *Exercitationes* in SOLINUM p. 279. & 901. & *Grammatica Græca* Marchica p. 434. Cæterum *Præpoſitiones* illæ *Inſeparabiles* varie derivari ſolent: ut *αρι* decerptum volunt ex *ἀρείων præſtantior*, *βρι* ex *βριθὺς gravis*, *δα* ex *δασὺς*, *ερι* ex *περὶ*, *ζα* per Dialectum Aeolicam ex *διὰ*, (quæ *Præpoſitio* & ipſa ſignificationem interdum auget,) ut in *ζαβάλλειν* Aeolice pro *διαβάλλειν*; *λα* & *λι* ex *λίαν*. Quædam tamen forſitan rectius ex oriente repetuntur, ut *αρι* & *ερι* ab Hebr. ארי *leo:* cum enim nomen *bovis* & *equi* ſignificationem intendat, quidni & nomen *leonis? βρι* ex Hebr. בריא *craſſus*, it. *validus*, (Pſ. 73, 4.) vel אביר *validus*, *fortis*, *δα* ex *ada* Arab. *valuit*, it. *multus fuit*, &c.

§. IX.

Præpoſitiones Inſeparabiles, vim habentes *privandi*, ſunt: *α*, ut *ἀθάνατος immortalis; δυς*, notionem habens *infauſti* & *difficultatis*, (ex *δύη infortunium*, *moleſtia*, *ærumna*, uti vulgo volunt,) ut *δύσερως infeliciter amans*, *δυσνόητος difficilis intellectu*, &c. *νη* & *νε*, ut *νήκερως ſine cornibus*, *νέποδες pedibus carentes*. Quidam addunt *νω*; quod tamen alii per Contractionem exortum volunt, ut *νώνυμος*, *obſcurus*, fit ex *νη* & *ὄνομα*: qua ratione & *νη* con-

contractum quibusdam videtur, ut νήπιος *infans*, ex νε & ἔπω, νήριθμος *innumerabilis*, ex νε & ἀριθμὸς, &c. Habet autem *Præpositio Inseparabilis* α, præter significationem *privandi*, (quo sensu ab ἄτερ vel ἄνευ, *sine*, deducitur & α στερητικὸν, i. e. *privativum*, dicitur,) etiam 2) notionem *intensivam*: quomodo ex ἄγαν desumta creditur, ut ἄξυλος *valde lignosus*; 3) eandem significationem cum ἅμα zusammen, ut ἅπαντες alle zusammen; & 4) cum ὁμοῦ *simul*, ut ἀκοίτης *maritus*, ἄλοχος *uxor*, unum idemque cubile habentes; 5) indicat *malignitatem*, ut ἀφυὴς *qui naturæ est malignæ*, *degener*; 6) *paucitatem* vel *parum* quid, ut ἀμαθὴς *parum doctus*; 7) *difficultatem*, sicut δυς, e. g. ἄβατος *difficilis ascensu*; & denique 8) quandoque plane vacat, ut ἄσταχυς idem est cum στάχυς, ἀλαπάζω idem cum λαπάζω &c. Idem α aliquando in eadem voce geminatur & ὑπερστερητικὸν vocatur, ut ἄπυστος *fama inauditus*, *incelebris*, ἀνάπυστος *fama non inauditus*, *haud incelebris*. Quod si vox, quacum α illud componitur, a Vocali incipiat, ad evitandum Vocalium concursum, sæpius ν interponi solet, ut ἀνάξιος *indignus*, pro ἀάξιος. Denique nec id omittendum est, quasdam ex *Præpositionibus* illis *Inseparabilibus* etiam in vetere lingua Persarum fuisse usitatas: qua de re conf. HILLERI *Onomast. S.* c. 45. & inspecie de νη WARNERI *Proverbia Persica* p. 16.

CAPUT

CAPUT III.

DE CONJUNCTIONE.

§. X.

Circa *Coniunctionem* triplex ſaltem eius *diviſio* conſideranda eſt: I) ratione *ſignificationis*, iuxta quam *Coniunctiones* in diverſas claſſes diſpeſcuntur, ut aliæ ſint *Copulativæ*, aliæ *Disiunctivæ*, aliæ *Cauſales*, *Conditionales* & ſic deinceps, ceu ex Grammatica & linguæ Latinæ analogia conſtat. II) Ratione *ordinis* ſive *conſtructionis*, qua aliæ *Coniunctiones* ſunt *Præpoſitivæ*, in conſtructione aliis vocibus ſemper præmittendæ, ut ἀλλὰ & καὶ, (quoties ſignificat *et*,) aliæ *Poſtpoſitivæ*, ut μὲν, δὲ, γὰρ, ἂν, τὲ, γὲ, omneſque *Potentiales* vulgo dictæ; aliæ *Indifferentes* ſive *Communes*, quæ promiſcue vel *præponuntur* vel *poſtponuntur*, ut omnes reliquæ. III) Ratione *Figuræ*, ſunt vel *Simplices*, ut εἰ, vel *Compoſitæ*, ut ἐπεὶ, ἐπειδὴ &c.

§. XI.

Coniunctionibus quoque annumerari ſolent *Particulæ* quædam, *Expletivæ* dictæ; non quidem eo ſenſu, ac ſi omnino ſuperfluæ ſint vel inutiles, ut recte monent APOLLONIUS de *Con-*

M *ſtructio-*

ſtructione Partium Orationis L. III. c. 28. & DEVARIUS de *Græcæ linguæ Particulis* p. 76. ſed quia ſubinde ſignificationem ſuam amittunt, vel in aliis linguis commode exprimi nequeunt, ſæpe quoque ornatus & metri ſaltem cauſa interſperguntur. Tales ſunt ἄῤ, ἂν, γὲ, δὴ, δῆτα, θὴν, κὲ, κὲν, μὴν, νὺ, νὺν, ȣ̃ν, πὲρ, πȣ, πω, ῥὰ, τοι. Poëtis præſertim frequentantur, usque adeo, ut ſæpe tres vel quatuor, immo quinque eiusmodi voculas *Expletivas* coacervent, obſervante BISCHOFFIO in *Cadmo* p. 380. e. g. καὶ νύ κε δή ῥα, *& ſane*. Uſurpantur autem diverſimode. Sunt enim vel I) *Interrogativæ*, aliis *Particulis* iunctæ *quæſtionem* connotantes, idque vel *affirmative*, ut ἦ ῥά νυ; *anne?* vel *negative*, ut ȣ̃ν νυ; *annon?* Vel II) *Affirmativæ*, quæ *Particulis* ἦ, δὴ, καὶ, γὰρ, μὲν poſtpoſitæ, rem magis *affirmant*. Vel III) *Negativæ*, Adverbiis *Negandi* ȣ̓, ȣ̓κ & μὴ ſubiici ſolitæ. Vel IV) *Dubitativæ*; V) *Adverſativæ*, & VI) *Tranſitivæ* ſive *Tranſitoriæ*, *tranſitionem* ſermonis denotantes: de quibus ſingulis pluribus agit OPITIUS in *Græciſmo reſtituto* p. 292. ſeq. & ex eo GUMPRECHT p. 861. ſeq.



SECTIO

SECTIO VI.

DE
SYNTAXI GRÆCÆ
LINGUÆ.

SECTIO VI.

DE

SYNTAXI GRÆCÆ LINGUÆ.

§. I.

Etymologiam excipit *Syntaxis*, *Partium Orationis* contextum monſtrans, qua ratione integram orationem conficiant. Hæc doctrina neceſſaria eſt non ſolum propter *Analyſin*, quæ vocabulorum conſtructorum reſolutionem, explicationem & ſenſum docet; ſed & propter *Syntheſin*, ſiquis ipſemet quædam in Græcam linguam transfundere diſcupit; quamvis hoc linguæ Græcæ exercitium noſtra ætate fere in deſuetudinem abierit. Varie autem *Syntaxis* illa dividi ſolet. Eſt enim vel *Convenientiæ* vel *Rectionis*. *Syntaxis Convenientiæ* oſtendit, qua ratione Subſtantivum cum Subſtantivo, Adiectivum cum Subſtantivo, Verbum cum Nomine &c. conveniat. *Syntaxis Rectionis* monſtrat, quomodo Nomen aliud Nomen, Verbum vel Præpoſitio Nomen, Coniunctio Verbum, Verbum aliud Verbum &c. regat. Eſt porro *Syntaxis* vel *Regularis* & *Simplex*, vel *Irregularis* & *Figurata*. *Syntaxis Regularis* ſive *Simplex* dicitur, ſi vocum conſtructio iuxta regulas univerſales vel principales fieri ſolet; *Irregularis* vero ſive *Figurata*, quæ a regulis illis recedit, ita ut aliquid in oratione

vel *abundet*, vel *deficiat*, vel *transponatur* vel *permutetur:* quæ *Syntaxeos* anomalia non nisi alicuius *Figuræ* ope ad analogiam reducitur. De *Figuris* illis aget sequens Sectio VIII.

§. II.

Denique *Syntaxis* est vel *Naturalis* vel *Arbitraria.* Illa omnibus fere linguis naturalis est atque communis; hæc vero soli huic vel illi linguæ, vel saltem huic vel illi auctori propria, quam alias dicunt *Idiotismum.* Unde accidit, ut lingua una *Idiotismos* habeat sive constructiones soli sibi proprias, quæ ab aliis linguis omnino absunt. Tales *Idiotismi* in lingua Græca vocantur *Græcismi*, in Germanica *Germanismi*, in Hebraica *Hebraismi* &c. Qua in re linguæ Græcæ cum Germanica multa esse communia, supra monitum est Sect. I. §. 6. Exempla integrarum locutionum Græcarum, cum Germanicis convenientium, dederunt VORSTIUS de *Latinitate falso suspecta* & GUMPRECHT in *Florilegio Gram. Græc.* p. 1181. seq. Grammatici, brevitati studentes, plerumque solos eiusmodi *Idiotismos* sive constructiones, quibus lingua Græca a Latina aliisque linguis differt, vel saltem differre videtur, in *Syntaxi* enarrant: ut CLENARDUS, (cuius *Syntaxin* JOH. STÜBNERUS seorsim edidit, cum mantissa *Observationum* eo pertinentium,) CANINIUS, WELLERUS, URSINUS, OPITIUS, TSCHONDERUS &c. Contra vero Auctor *Novæ Methodi* in *Syntaxi* sua harmoniam linguæ Græcæ & Latinæ monstrare tentavit, & GRET-

GRETSERUS passim ostendit, quomodo Latini peculiares Græcorum constructiones imitati sint, VERWEY autem earundem constructionum rationem subinde reddere studuit.

§. III.

Ad illustrationem eorum, quæ modo de diversis *Syntaxeos* speciebus adducta sunt, versiculum ex N. T. Græco in medium producemus eumque analytice discutiemus. Exemplo sit Matth. 1, 18. Τȣ̃ δὲ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ ἡ γέννησις ȣ̃τως ἦν. Μνηςευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς ἀυτȣ̃ Μαρίας τῷ Ἰωσὴφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν ἀυτȣ̀ς, ἑυρέθη ἐν γαςρὶ ἔχȣσα ἐκ πνεύματος ἁγίȣ &c. Τȣ̃ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, μνηςευθείσης τῆς μητρὸς Μαρίας, πνεύματος ἁγίȣ, ἡ γέννησις ἦν, ἑυρέθη ἔχȣσα, *Syntaxis* est *Convenientiæ*; γέννησις Ἰησȣ̃, μητρὸς ἀυτȣ̃, ἐν γαςρὶ, ἐκ πνεύματος, *Syntaxis Rectionis*; ἡ γέννησις τȣ̃ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ ȣ̃τως ἦν, *Syntaxis est Regularis* sive *Simplex* simulque *Naturalis*; ἑυρέθη ἐν γαςρὶ ἔχȣσα, *Syntaxis Irregularis* sive *Figurata*: quia aliquid per *Ellipsin* deficit, nimirum ἔμβρυον vel βρέφος, vid. LAMBERTI BOS *Ellipses Græc.* p. 32. & 66. (edit. *Schoetgen.*) πρὶν ἢ συνελθεῖν ἀυτȣ̀ς, est *Syntaxis Arbitraria* & locutio Græcis plane singularis sive *Idiotismus*.

§. IV.

Siquis vero ad ipſam quoque *Syntheſin* ſive *compoſitionem* Græcam adſpirat, quia Lexica vulgaria plerumque non ſufficiunt, inſignem illi uſum præſtabunt, quotquot ex optimis quibusvis ſcriptoribus Græcis phraſes collegerunt: quo pertinent POSSELIUS in *Calligraphia Oratoria linguæ Græcæ;* (quem librum GUMPRECHT l. c. p. 826. abſolute neceſſarium prædicat iis, qui in *Syntheſi* Græca feliciter procedere cupiunt,) MART. RULANDUS de *emendata linguæ Græcæ ſtructura;* JAC. BILLIUS de *Locutionibus Græcis;* (quod opuſculum ordine Alphabetico digeſtum eſt,) JOH. BENZIUS in *Theſauro elocutionis Oratoriæ Græco-Latinæ*, (quem MORHOFIUS in *Polyh.* T. I. L. III. c. 2. §. 14. & L. IV. c. 8. §. 8. omnibus aliis præfert,) JOH. VOLLANDUS de *Elegantiis Græcæ linguæ*, aliique. Commendamus quoque hunc in uſum VIGERUM de *præcipuis Græcæ dictionis Idiotiſmis*, & DEVARIUM de *Græcæ linguæ Particulis*, ſupra iam Sect. V. §. 1. laudatos. In genere circa *Syntheſin* obſervandum eſt, in ordinandis & diſponendis vocibus Græcos æque ac Latinos multum ſibi ſumere licentiæ, citra tamen ſenſus mutationem: quod in aliis linguis, e. g. Gallica, Italica, Germanica &c. ſecus ſe habet. Obſervavit G. C. HALLBAUERUS in Diſſert. de *variis linguarum perfectionibus* §. 27. verba e. g. Joh. 3, 16. ὅτως ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, *ita dilexit Deus mundum*, Græce æque ac

ac Latine ſedecies, ſine mutatione ſenſus, poſſe transponi; licet pro diverſo eorum poſitu in primam vocem maior incidat emphaſis, quam in reliquas. Quod ſi enim ὅτως præmittitur, magnitudo amoris divini magis attenditur; ſi ὁ Θεὸς vel τὸν κόσμον primo loco ponitur, magis exaggeratur præeminentia amantis vel indignitas amati, & ſic porro.

§. V.

Cæterum plerique Grammatici in pertractanda *Syntaxi* Græca haud incommode ordinem *Etymologiæ* aſſervant, primo explicantes *Syntaxin Articulorum*, deinde *Nominum*, poſthæc *Verborum*, & denique *Particularum*. Quidam vero hanc Grammatices partem plane intactam reliquerunt, ut URBANUS, AUG. BISCHOFFIUS, HERM. HARDTIUS in *Studioſo Græco* &c. Inter omnes *Syntaxin* Græcam copioſiſſime expoſuerunt RHENIUS in *Grammatica Græca* Maiore & POSSELIUS in peculiari libello: quem utrumque CRUSIUS in compendium redegit, ſingulis regulis adiectis Græcæ linguæ *Idiotiſmis*. Laudatur & ob facilitatem a D. LAUR. REINHARDO in *Hiſtoria ling. Græc.* p. 73. *Syntaxis Grammatices Græcæ* Halenſis, STOCKII autem *Syntaxis*, eius *Litteratori Græco* ſubiuncta, etiam provectioribus commendatur: qua laude, ad N. T. Græcum quod ſpectat, eiusdem *Interpres N. T.* mactandus eſt. *Syntaxin* Græcam ex veterioribus GEORGIUS LECAPE-

NUS & MOSCHOPULUS, ex recentioribus, præter POSSELIUM, ſingularibus libellis pertractarunt NICASIUS BAXIUS, MATTH. RULANDUS, JOH. NEENDORFFIUS, GODESCHALCUS PRÆTORIUS, JOH. VARENNIUS, (cuius *Syntaxis* cum *notis* JOACH. CAMERARII prodiit,) G. FABRICIUS, J. C. STORCKAU, J. C. SUICERUS, TOB. ECKARDUS &c.



SECTIO

SECTIO VII.

DE PROSODIA GRÆCÆ LINGUÆ.

SECTIO VII.

DE PROSODIA GRÆCÆ LINGUÆ.

§. I.

Orationem certæ cuidam Syllabarum dimensioni adstringere, docet *Poëtica* eiusque præcipua pars *Prosodia*, de *Quantitate Syllabarum*, de *Licentia Poëtica*, de variis sic dictis *Pedibus*, de *Carminum generibus* eorumque *scansione* tractans. Quia Latini Poësin suam a Græcis mutuo acceperunt, hinc *Prosodia* Græca cum Latina plurima habet communia: ut adeo multa hic, veluti ex lingua Latina nota, præsupponi queant, e.g. de *Contractione* & *Positione*, qua Syllabæ producuntur; de *Derivatis* & *Compositis*, quæ *Quantitatem* Primitivorum ac Simplicium sequi solent; de *Diphthongis natura longis*; quanquam Græci Diphthongos finales, sequente alia Vocali vel Diphthongo, etiam corripiunt, &c. In *Pedum* quoque & *Carminum generibus* Græcis cum Latinis convenit. In *Carminum scansione* solius *Quantitatis Syllabarum*, non *Accentuum* habenda est ratio, conf. supra Sect. II. §. 26. quod ut magis pateat, HERM. HARDTII sequentes hypothesin, & Syllabæ longæ valorem *Notæ Musica-*

lis,

lis, 𝅘𝅥𝅯, quam *Semiminimam* vocant, brevi autem valorem *Notæ* 𝅘𝅥𝅰, sic dictæ *Fusæ*, tribuentes, hoc subiicimus schema ex Tit. 1, 12.



Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Sicut itaque Latini a Græcis, ita Græci Poësin suam procul dubio ex Asia acceperunt, conf. v. E. LOESCHERI *Ion* p. 68. idque, ut ATHAN. KIRCHERUS in *Musurgia* T. I. L. II. c. 5. aliique volunt, ab Hebræis; licet Poësis Græcorum ab Hebraica multum differat.

§. II.

Est vero *Prosodia* Græca necessaria tam ad scriptorum Poëticorum *Analysin*; quam ad Carminum *Synthesin* sive *compositionem*, quæ in lingua Græca longe facilior est, quam in Latina, idque, observante CHRIST. HELVICO de *Carminibus atque Dialectis Græcorum* c. 1. I) ob copiam *Synonymorum*; II) ob varietatem *Dialectorum* & III) *Figurarum* frequentiam: quæ utraque e contrario *Analysin* Poëtarum Græcorum difficilem reddit. Neque tamen, quicquid *Dialectus* dicitur & *Figura Poëtica*, pro lubitu adhiberi posse putandum est, quod idem de *Licentia Poëtica* statuendum; sed & hic modus servandus est: qua de re aliquot monita perquam utilia tradit HEDERICUS in *Manuduct. ad scientias Philolog.* p. 685. seq. IV) Ob abun-

abundantiam *Epithetorum*; V) ob copiam Particularum *Expletivarum*; VI) ob libertatem *Elisionum*, quas vel adhibere vel intermittere licet; VII) ob libertatem in producendis vel corripiendis Syllabis, (maxime quod ad Diphthongos & Vocales longas finales; sequente alia Vocali vel Diphthongo,) in *cæsura* & *Pedum* dispositione sive concatenatione. Addimus VIII) ob ipsius *Prosodiæ* Græcæ facilitatem: quia Syllabarum *Quantitas* cognitu longe facilior est apud Græcos, quam apud Latinos, e. g. Syllaba, habens Vocalem longam, η vel ω, longa esse facile intelligitur; ut contra, quæ Vocalem brevem, ε vel ο, continet, brevis est; nisi *Positio* vel alia exceptio obstet: quæ in lingua Latina aliter se habent, ubi omnes Vocales *ancipites* sunt adeoque *Quantitatis* dubiæ. IX) Ob Poëseos Græcæ simplicitatem: quia omnes fere Poëtæ Græci HOMERI Poësin, ut antiquissimam, ita simplicissimam, imitaturi, & ipsi simplicitati studuerunt; conf. Sect. I. §. 4.

§. III.

Quisquis vero *Syntheseos* sive *compositionis* Carminum Græcorum exercitium instituere cupit, ille certis quibusdum subsidiis instructus sit oportet. Huc pertinent I) Institutiones *Prosodiæ* Græcæ, commoda facilique methodo dispositæ, ad rite cognoscendam Syllabarum *Quantitatem*. Quidam Grammatici hanc Grammatices partem plane omiserunt, ut CLENARDUS, CANINIUS, BISCHOFFIUS, WÆHNERUS &c. Alii eam quam bre-

breviſſime tradunt, ut GUALTPERIUS, TSCHONDERUS &c. Sunt, qui *Proſodiam* Græcam peculiaribus libellis explicatam dederunt: ut W. ROSTEUSCHER, JOH. VERSOSA, RENATUS GUILLONIUS, JOH. LANGIUS, JOH. BREGIUS, NIC. BAXIUS, CONR. DUNCKELBERGIUS, ERASM. SIDELMANNUS, PHIL. LABBE, HEDERICUS l. c. P. III. CHRIST. CELLARIUS, cuius *Proſodiam* JOH. CRAUSIUS annotationibus ſuis, auctiorem edidit, &c. Maxima *Proſodiæ* pars verſatur circa Vocales *ancipites*, α, ι, υ, ſic dictas, quia in aliis vocibus *breves*, in aliis *longæ* ſunt, adeoque *Quantitatis* dubiæ. Quæ Vocales ſi non eſſent, hæc Grammatices pars pauciſſimis quibusdam regulis generalibus, ea ſaltem, quæ *Proſodia* Græca cum Latina habet communia, concernentibus, abſolvi poſſet.

§. IV.

Poteſt autem Syllabarum *Quantitas* cognoſci partim ex *regulis*, partim ex *auctoritate* veterum Poëtarum. *Regulæ* illæ vel *generales* ſunt vel *ſpeciales*. *Generales* regulæ omnes concernunt Syllabas cumque regulis Latinorum Proſodicis maximam partem conveniunt. Regulæ *ſpeciales* ad certas quasdam Syllabas ſpectant, quæ Vocales habent *ancipites*, α, ι, υ, & quarum *Quantitas* ex regulis *generalioribus* cognoſci nequit. Ubi vero regulæ *ſpeciales* deficiunt, ibi *auctoritate* veterum Poëtarum ſtandum eſt: quo fine apud auctores, qui de *Proſodia* Græca præcepta tradiderunt,

derunt, eiusmodi vocabulorum, quorum *Quantitas* ex sola Poëtarum *auctoritate* cognoscitur, peculiaris quidam index exhiberi solet. Quidam indicem illum singulis regulis *specialibus* illico subiiciunt, ut WELLERUS, VERWEY, KOEBERUS &c. Alii eundem ultimo loco reservant. Similem indicem NIC. CAUSSINUS *Thesauro* suo *Græcæ Poëseos* subiecit.

§. V.

Quia vero eiusmodi indices cognoscendæ Syllabarum *Quantitati* non omnino sufficiunt, neque illis tuto semper creditur, hinc II) ad *Synthesin* Poëseos Græcæ faciunt auctores, qui, ad exemplum H. SMETII in lingua Latina, dictiones, Vocalibus ancipitibus consistentes, ordine Alphabetico recensent, additis ubique versibus ex Poëtis, unde de *Quantitate* certo constare queat. Huc pertinent G. M. KOENIG in *Tirocinio Poëtico Græco*, EDUARDUS LEEDES in *Indice Prosodico Græco*, PHIL. LABBE in *Elencho* sive *Thesauro Prosodico Græco-Latino*, P. COELEMANNUS in *Opere Prosodico Græco*, maxime vero CHRIST. KIRCHNERUS in *Prosodia Græca*, edit. Basil. an. 1644. III) Opus est auctore, qui *Synonyma* suppeditet: id quod MART. RULANDUS præstitit in *Synonymia Latino-Græca*. IV) Requiritur *Epithetorum* copia: quo facit CONR. DINNERUS in *Epithetorum Græcorum Farragine*, qui & ubique veterum Poëtarum loca, unde illa desumta sunt, adduxit. *Epitheta*, in HOMERI saltem *Iliade* obvia, NIC. PRUSTUS collegit. Denique

que V) in promtu ſint integræ phraſes locutionesque Poëticæ: quarum copiam faciunt GRAFUNDERUS in *Aerario Poëtico Græco*, DAN. PAREUS in *Mellificio Attico*, NIC. CAUSSINUS in *Theſauro Græcæ Poëſeos*, J. C. DIETERICUS in *Lexidio Poëtico*, JOH. VOLLANDUS de *re Poëtica Græcorum*, qui & *Epitheta* Græca exhibet. *Homericam* inſpecie *Phraſeologiam* conſcripſit JAC. SORGERUS. Conf. & ABDIAS PRÆTORIUS de *Poëſi Græcorum*, & CHRIST. HELVICUS de *Carminibus & Dialectis Græcorum*.

§. VI.

Denique vero ad Poëſin Græcam, ut in omnibus aliis linguis, maxime requiritur & ingenium, ad illam quaſi natum, & ſtudium ardens; quod tamen noſtra ætate plane refrixit: ut adeo Carmina Græca plane in deſuetudinem abierint, quia pauciſſimi ea intelligunt; cum contra temporibus ſuperioribus ſummi viri Poëſi Græcæ operam dederint. Equidem JOH. CLERICUS in *Parrhaſianis* T. I. p. 4. ſeq. cum aliis Latinam atque Græcam Poëſin noſtro tempore nullius plane uſus eſſe contendit; cui vero SEB. KORTHOLTUS in peculiari Diſſertatione, edit. an. 1703. ſatis ſuperque reſpondit, conf. G. LIZELII Prolegom. ad *Hiſtoriam Poëtarum Græcorum Germaniæ* §. 10. ſeq. Studium certe Poëſeos Græcæ rem eſſe admodum nobilem atque eximiam, patet ex Apoſtoli PAULI exemplo, qui non ſolum adoleſcens in celeberrimo Tarſenſium Gymnaſio Poëtas Græcos tractavit,

vit, ſed etiam ad Chriſtianismum iam converſus & ad ſanctiſſimum Apoſtoli munus vocatus, aliquot verſus ex Poëtis Græcis excitavit: ut Jambum ſenarium ex MENANDRO, 1 Cor. 15, 33.

Φθειρȣ | σιν η | θη χρησθ' | ομι | λιαι | κακαι |.

Hexametrum ex EPIMENIDE, Tit. 1, 12.

Κρητες α | ει ψευ | σαι, κακα | θηρια, | γαστερες | αργαι |.

Et ſemihexametrum ex ARATO, Act. 19, 28.

Τȣ γαρ | και γενος | εσμεν. — —

Conf. J. A. KOENIGII Diſſert. *qua tria Pauli dicta, ex profanis petita, illuſtrantur*, J. H. a SEELEN Diſſert. de *dictis Poëtarum in N. T. citatis*, G. P. OLEARII Diſſert. de *ſcripturis profanis a Paulo allegatis*, OLAI MOELLERI Diſſert. de *Paulo Apoſtolo humaniorum litterarum cultore*, in *Biblioth. Lubec.* Vol. V. &c. CARRELIUS tamen apud BERNARDUM in *Nouvelles de la Republique des lettres de Juin* 1700. p. 642. ſeq. PAULUM Poëtas Græcos legiſſe, quo fundamento, neſcio, negat. Præter tres illos verſus Græcos, a PAULO citatos, occurrunt quoque in N. T. hinc inde verſus *fortuiti*, ut vocant, id eſt, forte fortunâ & præter intentionem ſcriptoris ſacri exorti, ut Matth. 7, 7. Jambus quaternarius:

Ζητει | τε και | ευξη | σετε |.

Hexameter Luc. 21, 18.

Θριξ εκ | της κεφα | λης υ | μων ε | μη απο | ληται |.

Quos obſervant PFEIFFERUS in *Dubiis vexatis* ad Pſ. 1. & MIRUS in *Quæſtionibus ex Muſica S.* p. 41. His addi poteſt Hexameter Joh. 13, 6.

Βαλλει υ | δωρ εις | τον νι | πτηρα και | ηρξατο | νιπτειν |.

Pentameter Rom. 6, 13.

Και τα με | λη υ | μων | οπλα δι | καιοσυ | νης.

Sic Tit. 3. ab initio verſiculi ſecundi & tertii duo occurrunt Pentametri, aliique alibi plures, quos F. S. LOEFLERUS adducit in *Epiſt.* ad SERPILIUM de *Verſibus, qui in ſoluta Novi Fœderis oratione habentur.* Sunt tamen, qui, eiusmodi verſus dicere *fortuitos* vel *inopinatos*, Scripturæ S. eiusque Θεοπνευςίᾳ præiudicare, exiſtimant.



SECTIO

SECTIO VIII.

DE
FIGURIS GRAMMA-
MATICIS.

SECTIO VIII.

DE FIGURIS GRAMMATICIS.

§. I.

Cum in lingua Græca plures dentur Dialecti, & scriptores Græci, maxime vero Oratores, a vulgari loquendi ratione sive a simplici verborum constructione subinde abierint, cumque Poëtis multa opus fuerint, quibus Syllabæ vel prolongarentur vel abbreviarentur, & denique Græci in universum euphoniæ atque elegangantiæ sermonis studuerint; non potuerunt non multæ voces atque constructiones alias plane induere formas: quas Grammatici *Figuras* vocare solent. Sicut itaque Grammatica quatuor partibus absolvitur generalibus: *Orthographia*, *Etymologia*, *Syntaxi* & *Poëtica* sive *Prosodia;* ita quoque *Figuræ* illæ quadruplicis sunt generis, *Orthographicæ* scilicet, *Etymologicæ*, *Syntacticæ* ac *Poëticæ.*

§. II.

Figuræ Orthographicæ, numero fere tredecim, solas litteras & Syllabas concernunt. Sunt autem illæ I) *Prosthesis*, i. e. *appositio* litteræ vel Syllabæ ab initio vocis, ut ἄσταχυς pro στάχυς. II) *Aphæresis*, h. e. *ablatio* litteræ vel Syllabæ a principio dictionis, ut κεῖνος pro ἐκεῖνος. III) *Epenthesis*, h. e. *interpositio* litteræ vel Syllabæ in medio vocis, ut πτόλις pro πόλις &c. estque ea triplex: *Epectasis* sive *Porrectio*, qua Vocalis vel Diphthon-

gus, Syllabam efficiens, interponitur; *Parenthesis*, qua Vocalis, peculiarem Syllabam non constituens, & *Paremtosis*, qua Consonans, Syllabam non faciens, interponitur. IV) *Diplasiasmus*, i. e. *geminatio*, qua Consonans in medio vocis geminatur, ut ὅττι pro ὅτι. V) *Anadiplosis*, h. e. *reduplicatio*, qua prima vel secunda Syllaba reduplicatur, ut ἐτήτυμος pro ἔτυμος. VI) *Syncope*, i. e. *concisio*, quando littera vel Syllaba e medio aufertur, ut ἔγεντο pro ἐγένετο: cuius species sunt *Ellipsis*, (ab *Ellipsi Syntactica* bene distinguenda,) quando Vocalis; *Ecthlipsis*, quando Consonans, Syllabam non constituens; & *Parellipsis*, quando ex geminis Consonantibus altera abiicitur. VII) *Paragoge*, qua littera vel Syllaba a fine additur, ut ἐγών pro ἐγώ. Huc inspecie quoque referendum est ν sic dictum ἐφελκυστικόν, ut recte monet BISCHOFFIUS in *Cadmo* p. 398. quale *N Paragogicum* etiam Hebræi habent. Additur autem illud ν Dativis plur. in σι, Personis item Verborum in ε & ι finitis, nec non Numerali εἴκοσι & Adverbiis nonnullis, quoties sequens vox a Vocali vel Diphthongo inchoatur; idque ad evitandum concursum Vocalium. Reperitur tamen etiam in fine periodorum, & apud Poëtas, sequente Consonante. VIII) *Apocope*, i. e. *abscissio*, qua littera vel Syllaba a fine vocis aufertur, ut πολλάκι pro πολλάκις. Huc etiam pertinent vocabula, quæ ultimam Vocalem per *Apostrophum* abiiciunt. IX) *Synalœphe*, h. e. *commixtio* sive *coalescentia*, eaque vel *Simplex* vel *Composita*. *Synalœphe Simplex* trifariam fieri solet: ut vel per *Elisionem*, e. g. ποιεῖ pro ποιέει; vel per *Crasin*, e. g. τείχους pro τείχεος; vel per

Syn-

Synæresin, e. g. τείχει pro τείχεϊ. *Synalœphe Composita* quatuor modis accidit: ut per *Elisionem* & *Crasin* simul, e. g. κἀγὼ pro καὶ ἐγὼ; per *Elisionem* & *Synæresin*, e. g. χρυσοῖ pro χρυσόει; per *Crasin* & *Elisionem*, e. g. ὡπόλος pro ὁ αἰπόλος; & denique per *Elisionem*, *Crasin* & *Synæresin* simul, e. g. ὡπόλοι pro οἱ αἰπόλοι. X) *Diæresis*, i. e. *divisio*, qua una Syllaba in duas distrahitur, ut πάϊς pro παῖς. XI) *Metathesis*, litterarum transpositio, ut καρτερὸς pro κρατερός. XII) *Antithesis*, litteræ pro littera positio, ut ξὺν pro σύν. XIII) *Tmesis*, dissectio vocis Compositæ, ut ἐκ δ' εὐνὰς ἔβαλον pro ἐξέβαλον δ' εὐνάς.

§. III.

Figuræ Etymologicæ integras voces earumque Accidentia concernunt, suntque saltem hæ duæ: I) *Metaplasmus*, i. e. *transformatio*, quando Nomen vel Verbum a regulari flectendi ratione recedit, ut ἀλκὶ pro ἀλκῇ, φέρημι pro φέρω &c. & II) *Enallage*, i. e. *permutatio*, eaque vel *Antimeria*, qua *Partes Orationis*; vel *Heterosis*, h. e. *alteratio*, qua *Partium Orationis* Accidentia cum invicem permutantur: ut in Nominibus, *Numerus*, *Genus*, *Casus*, cum alio *Numero*, *Genere* & *Casu*; in Verbis, *Numerus*, *Persona*, *Tempus*, *Modus*, cum alio *Numero*, *Persona*, *Tempore* & *Modo*, &c. *Figuræ Syntacticæ* ad totam vocum constructionem spectant, suntque I) *Ellipsis*, apud Græcos omnium frequentissima: ut adeo qui *Ellipses* bene noverit, in illa lingua multum profecisse haud abs re iudicetur. Operæ itaque pretium fecit LAMBERTUS


BOS, in *Ellipses* illas ex instituto inquirendo, cuius libelli de *Ellipsibus Græcis* editio sexta ante quinquennium abhinc cum CHR. SCHOETGENII, J. G. S. BERNHOLDI & Cl. JOH. FRID. LEISNERI supplementis Lipsiæ prodiit. II) *Pleonasmus*, i. e. *redundantia*, cum aliquid in oratione redundat, elegantiæ vel emphaseos causa, ut Matth. 2, 10. III) *Hendiadys* sive Ἓν διὰ δυοῖν, cum pro Substantivo & Adiectivo ponuntur duo Substantiva, ut ταύρους καὶ στέμματα, *tauros & coronas*, i. e. *tauros coronatos*, Act. 14, 13. IV) *Synthesis*, quam quidam *Synesin* vocare malunt, cum constructio ad intellectum, non ad vocem refertur: estque vel *Numeri*, ut 1 Tim. 2, 15. vel *Generis*, ut Matth. 28, 19. V) *Prolepsis*, cum per anticipationem narrantur, quæ nondum facta sunt, e. g. Matth. 26, 21. coll. Luc. 22, 21. Illi opponitur VI) *Hysterologia* sive *Hysteron Proteron*, vid. Luc. 4, 5. 9. coll. Matth. 4, 5. 8. VII) *Hypallage*, i. e. *immutatio*, quæ est inversus ordo constructionis, ut *lex iustitiæ* pro *iustitia legis*, Rom. 9, 31. VIII) *Anastrophe*, h. e. *inversio*, quando Præpositio suo Casui postponitur, ut ᾧ ἔπι pro ἐφ' ᾧ. IX) *Hyperbaton*, i. e. *traiectum*, aliis *Synchysis*, h. e. *confusio*, quæ est ordinis naturalis in oratione traiectio, ut Joh. 17, 5. 1 Cor. 9, 10. &c. Addunt quidam X) *Zeugma*, i. e. *connexionem*, quando Substantivis diversi Generis & Numeri Verbum vel Adiectivum additur, cum proximo Substantivo conveniens. XI) *Anacoluthon*, q. d. *inconsequens*, quando Casus, præsertim Participii, Verbo aut Nomini antecedenti vel sequenti non respondet, ut Act. 26, 2. 3. Eph. 3, 17. 18. & XII) *Periphrasin*, quæ fit

fit per Verba *Substantiva*, per Verbum μέλλω, aut alia ratione, ut ἐγένετο βαπτίζων pro ἐβάπτισε, Marc. 1, 4. *Figuræ Poëticæ* sunt I) *Systole*, h. e. *contractio* sive *correptio*, quando Syllaba longa corripitur. II) *Diastole*, i. e. *distractio* sive *productio*, alias *Ectasis*, h. e. *extensio*, qua Syllaba brevis producitur: quod si fit ab initio versus, ille dicitur ἀκέφαλος, si in medio accidit, versus vocatur κολυβὸς, si denique in fine versus, hic appellatur μείουρος vel μύουρος. III) *Synizesis*, q. d. *considentia* sive *coitio*, quæ & *Synecphonesis* atque *Episynalœphe* vocatur, quando duæ Vocales in scansione ut una proferuntur, ut si e. g. ἕως pro una Syllaba habeatur.

§. IV.

Pleniorem omnium *Figurarum* Grammaticarum pertractationem Grammaticis relinquimus. Multi tamen Grammatici illas, veluti ex lingua Latina iam cognitas, plane prætermittunt, ut CLENARDUS, CRUSIUS, GUALTPERIUS, CANINIUS, WELLERUS &c. Pluribus vero *Figuras* illas explicatas dederunt RHENIUS in *Grammatica Græc.* Maiore P. I. p. 247. seq. ERASMUS SCHMIDIUS de *Dialectis Græcorum* p. 174. seq. J. F. KOEBERUS in Append. *Grammaticæ Golio-Wellerianæ* c. 2. GRETSERUS in *Gram. Græc.* L. III. c. 31. Auctores *Grammaticæ Græc.* Marchicæ p. 1113. seq. &c. BISCHOFFIUS autem in *Cadmo* c. 7. multum ab aliis hic recedit. Ex veteribus de *Figuris* Grammaticis scripserunt TRYPHON, Grammaticus Alexandrinus, cuius libellus SCAPULÆ *Lexico Græco* subiunctus est; LESBONAX, Grammaticus Byzantinus, quem una cum AMMONIO L. C. VALCKENAER

NAER an. 1734. primus edidit; TIBERIUS Rhetor, HERODIANUS, Grammaticus Alexandrinus, MICHAEL APOSTOLIUS, aliique, quorum ſcripta de *Figuris* illis LEO ALLATIUS evulgare voluit, ſed promiſſis non ſtetit. De *Figuris*, quibus uſus eſt HOMERUS, PLUTARCHUS in *vita Homeri* egit: quæ tractatio ſimiliter *Lexico* SCAPULÆ adiecta eſt. De *Figuris* in N. T. Græco obviis agunt JOACH. CAMERARIUS in *Notatione Figurarum ſermonis in IV libris Evangeliſt. & Apoſtolicis ſcriptis*, GLASSIUS in *Philologia S.* L. IV. Tract. II. & STOCKIUS in *Interprete N. T.* c. 9. ſpeciatim de *Pleonaſmis N. T.* J. H. MAJUS (fil.) Diſſertationem conſcripſit. Fuerunt tamen, qui *Figurarum* illarum quasdam ex N. T. plane voluerunt eliminatas: ut J. J. WEIDNERUS in *Hypallage exploſa*, WIG. KÄHLER de *veris & fictis Textus S. Traiectionibus*, quo nomine ille *Synchyſes* intelligit, H. C. ENGELKEN in duabus Diſſertationibus de *modo loquendi Scripturæ & nullo in eadem Pleonaſmo*, E. H. POLEMANNUS in ſcripto: *Scripturæ S. maieſtas in Pleonaſmis vindicata*, J. C. HERZOG in Diſſert. de *certitudinis hermeneuticæ in lingua N. T. auxiliis Grammaticis:* qua *Enallagas* ex N. T. tollere conatur; maxime vero FRANC. WOCKENIUS, qui in diverſis ſcriptis Textum Græcum N. T. ab *Hypallagis*, *Synchyſibus* & *Enallagis* liberare voluit.



SECTIO

SECTIO IX.

DE
DIALECTIS GRÆCORUM.

SECTIO IX.

DE
DIALECTIS GRÆCORUM.

§. I.

Omnes linguæ obnoxiæ ſunt viciſſitudinibus; quarum cauſæ quam naturales ſint, plurimi oſtenderunt, a nobis laudati in *Arcano Formarum Nominum linguæ Hebr.* p. 11. & in *Onomaſtico V. T.* p. 611. Idem videre eſt in noſtra ipſorum vernacula, aliam plane formam præ ſe ferente, ac in priſcis ſcriptis Germanicis comparet. Quod cum ita ſit, neque mirum cuipiam videbitur, varias linguarum viciſſitudines diverſas quoque peperiſſe earundem *Dialectos* atque idiomata. Eiusmodi *Dialectos* in omnibus linguis *vivis* ſive noſtra ætate adhuc florentibus offendimus, e. g. in noſtra Germanica, cuius fere tot *Dialecti* ſunt, quod regiones Germaniæ. Idem ſtatuendum de lingua Græca, cui non minus, præcipue propter innumeras colonias, in alias terras deductas, plurimæ adhæſerunt *Dialecti*: de quibus iam pluribus tractabimus. Eſt enim eiusmodi tractatio omninó neceſſaria, tum quia ſine *Dialectorum* notitia Poëtæ intelligi non poſſunt; tum quia multorum linguæ Græcæ phænomenôn ratio ſine *Dialectis* illis reddi nequit, e. g. cur κλαίω & καίω in Fut. I. habeant κλαύσω & καύσω; tum

tum denique quia in ipſo quoque N. T. Græco *Dialecti* hinc inde occurrunt, quarum ſenſus verus maximi eſt momenti, e. g. ἀφέωνται Matth. 9, 2. Luc. 7, 48. &c. eſſe Perfectum Indicativi Paſſ. Attice pro ἀφεῖνται, ex doctrina de *Dialectis* cognoſcitur: quod ſi ANDREAS OSIANDER non ignoraſſet, Wormatiæ an. 1557. non pro Coniunctivo vel Optativo pugnaſſet, multo minus peccatrici pœnitenti apud Lucam l. c. peccatorum abiudicaſſet remiſſionem, a Servatore *Indicative*, non *Optative* illi annunciatam. Iſta *Dialectorum* neceſſitas opponenda eſt difficultati, quam illæ una cum accentuatione Græca tironibus creant, monente ERASMO SCHMIDIO de *Dialectis Græcis* p. 1.

§. II.

Sic vero de Græcæ linguæ *Dialectis* agemus, ut videamus, 1) quid ſit *Dialectus?* 2) quot ſint *Dialecti* Græcæ linguæ? 3) quotuplicis illæ ſint generis & ubi occurrant? 4) quid ſingulis *Dialectis* proprium ſit atque privum? Varios vocis διάλεκτος ſignificatus exhibent SCHMIDIUS l. c. p. 3. & RHENIUS in *Grammatica Græca* Maiore p. 84. Hoc loco intelligitur ſingularis quædam loquendi ratio vel certum quoddam unius eiusdemque linguæ idioma, pro regionum atque urbium, lingua illa utentium, diverſitate & ipſum diverſum, e. g. lingua Germanica utuntur Germani, ut Saxones, Sileſii, Franci, Suevi, Helvetii &c. & tamen omnes illæ nationes peculiari quadam pronunciatione, vocibus & phraſibus gaudent. Eodem modo ſe habet lingua Græca, quam quidem omnes Græciæ inco-

incolæ loquebantur, ſed modo admodum diverſo. Unde nemo mirabitur, tot *Dialectos* per Græciam obtinuiſſe, ut fere ſingulis regionibus & urbibus ſua fuerit *Dialectus:* ſiquidem veteribus Grammaticis, maxime EUSTATHIO, *Bœotica*, *Cypria*, *Pamphylia*, *Chalcidica*, *Sicula*, *Cretica*, *Tarentina*, *Laconica*, *Argiva*, *Theſſalica* aliæque memorantur *Dialecti*, conf. *Grammatica Græca* Marchica p. 1133. 1134. Immo HOMERUS *Odyſſ.* XIX. 172. ſeq. in inſula Creta nonaginta urbes, iisque ſingulis fuiſſe linguas ſive *Dialectos* mixtas, refert.

§. III.

Principales tamen Græcorum *Dialecti* ſunt *Attica*, *Jonica*, *Dorica* & *Aeolica*. *Dialectus Attica* in regione *Attica* eiusque metropoli, *Athenis*, obtinebat. *Jonica* propria erat *Jonibus*, qui & ipſi initio Atticam incolebant, poſthæc vero annis circiter 130 vel 140 ab everſione Troiæ, relicta Attica, in Aſiam Minorem commigrabant, in eaque regione conſidebant, quæ ab illis *Jonia* dicta eſt. *Dialectus Dorica* erat *Dorum* ſive incolarum *Doridis*, Theſſaliæ regionis, qui tamen etiam extra illam regionem ſeſe propagarunt. *Dialectus* denique *Aeolica* nomen habet ab *Aeolibus*, qui & ipſi Theſſaliam primum inhabitabant, poſtea vero auctiores facti, quam ut exiguis ſedis ſuæ finibus continerentur, poſt varias ambages tandem in Aſiæ Minoris illa regione ſedem fixerunt, quæ ab illis *Aeolis* ſive *Aeolia* dicta eſt, unde in alias quoque terras, & in ipſam adeo Italiam ac Siciliam, colonias ſuas deduxerunt. His quatuor *Dialectis principalibus* quidam addunt *Dialectum*, vulgo ſic dictam *Communi*-

munem, *Dialectum* item *Poëticam* & *Dialectum N. T. Sacram.* Ad *Dialectum Communem* quod attinet, illa ex cæteris quatuor *Dialectis* conflata vel potius omnibus *Dialectis* reliquis *communis* esse creditur: J. H. SCHUSTERUS in Differt. de *quatuor linguis cardinalibus* p. 13. ad instar Hochdeutsch, eam vocari posse Hoch-griechisch iudicat. Alii tamen non *Dialectum*, sed potius ipsissimam linguam Græcam dicere malunt: quippe quæ fundamentum materque omnium *Dialectorum* reliquarum & universæ Græcorum nationi *communis* fuerit, ab initio in regione Thessaliæ *Phthiotide*, quam Ἕλληνες proprie dicti incoluerint, usitata. Conf. SALMASIUS de *lingua Hellenist.* p. 13. seq. & p. 272. LEUSDENIUS in *Philologo Hebræo-Græco* Differt. X. sect. 4. G. W. KIRCHMAIERUS in Differt. de *Dialecto Græcorum Communi*, GRETSERUS in *Institut. ling. Græc.* L. I. p. 20. URSINUS in *Grammat. Græc.* p. 195. &c. Neque etiam Poëtis peculiaris quædam *Dialectus* recte tribuitur: utpote qui potius pro lubitu omnes *Dialectos*, & insuper pro metri ratione varias adhibere solent *Figuras* Grammaticas, litteras vel abiiciendo vel addendo, vel transponendo vel permutando &c. Quamvis unam *Dialectum* præ altera magis illis placuisse, minime negemus. De N. T. Græci *Dialecto* Sect. XI. c. 1. dispiciemus.

§. IV.

Quæ cum ita sint, numerum *Dialectorum* quaternarium merito asservamus: quem etiam plurimi veterum tenent, ut PLUTARCHUS in *vita Homeri*, APOLLONIUS DYSCOLUS,

LUS, qui, teste SUIDA, de quatuor illis *Dialectis* singularem libellum composuit, Scholiastes PINDARI &c. immo tres tantum *Dialectos* numerant ATHENÆUS & CICERO in *Orat. pro L. Flacco:* cuius causa est, quod quatuor *Dialecti principales* multa cum invicem habeant communia, maxime vero *Attica* cum *Jonica*, & *Dorica* cum *Aeolica*. Olim enim *Atticis* & *Jonibus* una eademque fuit *Dialectus*, eo quod *Jones*, ut modo dictum, initio quidem cum *Atticis*, *Dores* vero cum *Aeolibus* eandem regionem incolerent: unde PINDARUS, quem constat *Dorice* scripsisse, ait, se canere Ἀιοληΐδι μολπῇ, *Aeolico cantu*. Conf. SALMASIUS l. c. P. II. c. 5. & 6. J. C. SCHWARZIUS in *notis* ad OLEARII Dissertat. de *stylo N. T.* p. 223. seq. & J. J. FERBERUS in Dissert. de *Dialectis Græcis* c. 5. seq. Id enim ingenere observandum est, *Dialectos* sensim magis magisque variasse, adeoque distinguendos esse *Atticos* & *Jones recentiores* ab *antiquis*, ut passim monet EUSTATHIUS in HOMERUM; conf. *Grammatica Græca* Marchica p. 1136. Quinimo sæpius una eademque *Dialectus* differt pro discrimine materiæ scriptorisque scopo, e. g. DEMOSTHENES, Orator Atheniensis, *Dialecto* utens *Attica*, minime per omnia civem suum THUCYDIDEM, Historicum Atheniensem, sequitur, neque eiusdem *Dialectus* cum *Dialecto* ARISTOPHANIS, Atheniensis Poëtæ Comici, omnino convenit; sicut nec *Dialectus* Philosophorum Atticorum, PLATONIS atque XENOPHONTIS, *Dialecto* Poëtarum Atticorum, ARISTOPHANIS, AESCHYLI, SOPHOCLIS &c. respondet. Conf. ANTESIGNANUS ad CLENARDI

O 2 *Gram-*

Grammaticam Græc. p. 11. & NEANDER in *Erotem. ling. Græc.* p. 342.

§. V.

Quemadmodum igitur quatuor *Dialecti* sunt *principales*, ita reliquæ, supra §. 3. memoratæ, quas quidam vocant *Topicas*, habentur pro *minus principalibus:* quæ & singulæ ad *Dialectos principales* referri possunt, ut *Laconica*, *Sicula*, *Cretica* ad *Doricam*, &c. conf. EUSTATHIUS ad HOMERI *Odyss.* XI. p. 459. & *Odyss.* XIX. p. 690. In *Dialectis minus principalibus* nulla exstant scripta, nisi quæ Comici, nationem quandam *Dialecto* sibi peculiari loquentem introducturi, in medium proferunt; cum contra multi libri *Dialectis principalibus* scripti exstent. *Dialecto* enim *Attica* scripserunt THUCYDIDES, DEMOSTHENES, PLATO, XENOPHON, ISOCRATES, AESCHYNES, PERICLES, LUCIANUS, AELIANUS, PLUTARCHUS, THEOPHRASTUS, &c. & ex Poëtis ARISTOPHANES, SOPHOCLES, AESCHYLUS &c. *Jonica* usi sunt HERODOTUS, HIPPOCRATES, DEMOCRITUS, HECATÆUS &c. Eadem præ aliis *Dialectis* placuit Poëtis, ut HOMERO, HESIODO, PHOCYLIDI, THEOGNIDI, ANACREONTI &c. *Dorica* reperitur in scriptis Poëtarum THEOCRITI, (f) PINDARI, ALCMANIS, BIONIS & MOSCHI, Mathematici ARCHIMEDIS, & in quorundam peculiaribus libellis, ut in formula fœderis Lacedæmonios inter & Argivos apud THU-

(f) De cuius stylo peculiaris exstat C. F. PEZOLDI Dissertatio.

THUCYDIDEM L. V. in TIMÆI libello de *anima mundi* apud PLATONEM, in Epistola AGESILAI apud PLUTARCHUM, & in aliis aliquot epistolis apud XENOPHONTEM & DIOGENEM *Laërtium*. In *Dialecto Aeolica* quædam supersunt fragmenta ALCÆI & SAPPHUS. Neque tamen existimandum est, auctores illos semper & ubique eadem *Dialecto* usos esse, neque multa etiam ex lingua *Communi* cæterisque admiscuisse *Dialectis*. Unde e. g. non statim tribuendum est *Dialecto Jonicæ*, quicquid HERODOTUS, neque *Doricæ*, quicquid THEOCRITUS scripsit: HERODOTUS enim multa ex *Dialectis Attica* & *Dorica* scriptis suis interspersit, sed saltem *Jonicam* frequentius adhibuit; sicut apud PINDARUM & THEOCRITUM *Dorica* præ aliis *Dialectis* regnat.

§. VI.

Concernunt vero *Dialecti* illæ vel vocabula singularia, vel vocum partes, vel integras vocum constructiones. *Dialectus* in vocabulis singularibus est, siqua vox cuidam Græcorum nationi plane propria est, apud alios Græcos significatione illa inusitata, e. g. Macedonibus *δάνος mortem* significat, Siculis *κίναδος vulpem* &c. pro quibus alia plane vocabula cæteris Græcis usu veniunt. Unde quidam de eiusmodi dictionibus peculiares conscripserunt libellos: ut de *Atticis* PHRYNICHUS in *Ecloge Verborum & Nominum Atticorum*, THOMAS, cognomine *Magister*, in *Eclogis Nominum Atticorum*, & EMMAN. MOSCHOPULUS in *Sylloge Nominum Atticorum*; de *Laconicis* JOH. MEURSIUS in *Miscellaneis Laconicis* L. III. c. 6. seq. & sic de reliquarum *Dialectorum*

vocibus singularibus olim exstiterunt scripta quædam, nunc vero deperdita, de quibus vid. FABRICII *Bibliotheca Græc.* L. IV. c. 34. §. 4. seq. *Dialecti*, ad vocum saltem partes spectantes, vel *litteras* vel *Accentus* vel *Spiritus* concernunt: quas *Dialectos Orthographicas* vocant; vel flexionem vocum, ut Declinationem & Coniugationem eoque pertinentia, concernunt: quæ *Dialecti Etymologicæ* dicuntur; vel denique *Quantitatem* Syllabarum tangunt, ut cum terminatio ας Accusativi plur. Declin. I. alias longa, Dorice corripitur: quæ *Dialecti Poëticæ* vel *Prosodicæ* appellari possunt. *Dialecti* vero integrarum vocum constructionum *Syntacticæ* dicuntur: ut cum Attici Nomina Neutra plur. cum Verbo sing. construunt; cum Jones & Poëtæ pro *Imperativo* utuntur *Infinitivo* &c.

§. VII.

De *natura* vero & *indole Dialectorum* ingenere observamus, *Atticam* fuisse omnium elegantissimam ac suavissimam, quæ Athenis, celeberrima Græciæ urbe & schola, studiose exculta, aliis quoque gentibus ita placuit, ut eam & admirarentur & imitarentur; habuisse eam insuper in pronunciatione difficile sibique proprium quid, conf. Sect. II. §. 22. unde THEOPHRASTUS, Eresius, vel a vetula taxatus legitur, quod Athenis vocabula quædam non satis Attice pronunciaret; eandemque amasse Contractiones, proque σ adhibuisse τ, ut incolæ Germaniæ Inferioris, dicentes e. g. dat pro das, &c. conf. Sect. II. §. 20. Multas *Atticorum* constructiones atque phrases convenire cum ***Hebraicis***, **ostendit LACKEMACHER in *Observat. Philolog.* P. VI. Observat. 6. *Dialectum Atticam*** sic

se

ſe ad reliquas habere, ut *Miſnica* ad cæteras Germaniæ *Dialectos*, aſſerit Celeb. C. F. BOERNERUS in Additam. ad Diſſert. de *Exulibus Græciæ*. *Dialectus Jonum* in pronunciando fuit delicatiſſima, ſed paulo inſuavior, Vocales η & ι, vocabulorum item per Vocales Epentheticas & Paragogicas diductiones (g) amans, & contra a Contractionibus abſtinens. Sic *Doricæ* quoque *Dialecti* elocutio a cæteris abiit, ut colligitur ex THEOCRITI *Idyllio* XV. ubi cum quidam mulierculas, multa *Dialecto Dorica* deblaterantes, irridens introducitur, Scholiaſtes monet, Dores inter pronunciandum os magnopere diduxiſſe: quia ſcil. Vocalem α amarunt, ea in re, obſervantibus SALMASIO de *lingua Helleniſt*. P. II. c. 2. p. 416. 424. FERBERO in Diſſert. de *Dialectis Græcis* c. 7. & G. OUTHOVIO in Orat. de *neceſſitate ſtudii linguarum* p. 19. Syros imitati, qui & ipſi Nominibus, in *ſtatu Emphatico* poſitis, *A* addere Hebræorumque Vocales in *A* convertere ſolent. Sunt quoque iidem *Dores* βραχυλόγοι, Apocopen amantes & voces monoſyllabas. *Dialectus Aeolica* vel eo nomine notatu digna eſt, quia quaſi mater eſt linguæ Latinæ: Latini enim in vocibus, ex Græca lingua mutuo acceptis, ut plurimum *Dialecti Aeolicæ* pronunciationem naturamque ſecuti ſunt, conf. Sect. II. §. 36. Amat illa vocales ω & ο atque *Spiritum Lenem* loco *Aſperi*. De peculiari ſigno *Spirituum* vicario, *Digamma Aeoli-*

(g) Sicut veſtes diductas & prolongas amarunt iidem Jones, unde ἑλκεχίτωνες dicuntur HOMERO *Iliad.* XV. 685.

Aeolico, dictum est l. c. Conf. quæ de *natura* & *indole Dialectorum* egregie differunt VOSSIUS de *Poëmatum cantu* p. 54. 55. & SALMASIUS de *lingua Hellenist.* P. II.

§. VIII.

Plura de *Dialectis* Græcorum, eaque specialiora, dabunt Grammatici, maxime vero FRANC. VERGARA, MART. RULANDUS & WELLERUS in *Gram. Græc.* RHENIUS in *Gram. Græc.* Maiore, CANINIUS in *Hellenismo*, Auctores *Grammaticæ Græcæ* Marchicæ &c. Præter Grammaticos de *Dialectis* illis agunt J. C. SCHWARZIUS in notis ad OLEARII Differt. de *Stylo N. T.* p. 222. FABRICIUS in *Biblioth. Græc.* L. IV. c. 34. MIRUS in *Institut. linguæ Græc.* p. 165. seq. C. F. MUNTHE in *Historia ling. Græc.* L. I. c. 1. seq. Sunt, qui ex instituto de iisdem tractarunt, ut ex veteribus JOHANNES PHILOPONUS, CORINTHUS & PLUTARCHUS in *vita Homeri*, quorum opuscula, in Latinum conversa, SCAPULÆ, ROB. CONSTANTINI & H. STEPHANI Lexicis subiuncta videas; ut taceam alios nondum editos, de quibus FABRICIUS l. c. Vol. VII. p. 41. seq. Ex recentioribus JOH. VARENNIUS, M. M. DABERCUSIUS, ANDR. AMEROTIUS, W. BAILIUS, ERASMUS SCHMIDIUS, P. B. MERIGONUS, SEB. MEIERUS, G. F. HEUPELIUS, MICH. MAITTAIRE, JAC. ZWINGERUS, cuius *Hypotyposis* & *Synopsis Dialectorum* recentioribus SCAPULÆ editionibus subiici solet, J. J. FERBERUS in Differt. de *Dialectis Græcis*, TH. SCHOERLINGIUS in Differt. de *Græcæ linguæ pronunciatione eiusque variis Dialectis*, C. G. SCHWARZIUS in Diff. de *caussis Dialectorum, spec. Græc.* CHR. HELVICUS de *Car-*

Carminibus atque Dialectis Græcorum, J. B. NIBBE in *Dialectologia Paradigmatica*, &c. Huc quoque pertinent Lexica quædam, ut AEMILII PORTI *Lexicon Doricum*, eiusdemque *Lexicon Jonicum*, SCHREVELII *Lexicon Manuale* &c.

§. IX.

Eſt & alia linguæ Græcæ *Dialectus* multo recentior, Græcorum ſcil. hodiernorum, quæ vulgo *Dialectus* vel potius *Lingua Græco-Barbara* ſive *Barbaro-Græca* dici ſolet. De linguæ Græcæ veteris & novæ illius discrimine vid. J. M. LANGII Diſſert. de *differentia Linguæ Græcorum veteris & novæ*, eius *Philologiæ Barbaro-Græcæ* ſubiecta. De linguæ *Barbaro-Græcæ origine* & *natura* egerunt idem LANGIUS in peculiari *Meletemate*, eidem *Philologiæ* præfixo, JOH. TRIBBECHOVIUS in pec. *Diſſertatione*, eius *Elementis linguæ Græcæ vulgaris* præmiſſa, conf. & Celeb. GESNERI Diſſert. de *eruditione Græcorum, qui hodie vivunt*, in *Miſcellan. Lipſ.* T. II. p. 397. ſeq. & quæ ſupra adduximus Sect. I. §. 12. Habet hæc lingua & ipſa multas *Dialectos Topicas*. SIMON CABASILAS, natione Græcus, in Epiſtola quadam ad MART. CRUSIVM, ad ſeptuaginta numerat, quarum omnium deterrima Athenis obtineat, vid. CRVSII *Turco-Græcia* p. 461. De libris hac lingua ſcriptis & impreſſis vid. modo laudatus LANGIVS l. c. Ex illis præ cæteris memorari meretur Verſio N. T. auctore MAXIMO MARGUNIO *Calliopolita*, aliquoties, atque etiam ex Orphanotropheo Halenſi an. 1712. cura B. AVG. HERM. FRANCKII in lucem edita: de qua pluribus idem J. M. LANGIVS in peculiari *Diſſertatione*, pariter eius *Philologiæ Barbaro-Græcæ*

O 5 ſub-

subiuncta. Subsidia ad discendam linguam illam necessaria, Grammaticas videlicet & Lexica, recensent LANGIVS in *Meletemate* modo citato, FABRICIVS in *Bibliotheca Græca* Vol. VII. p. 75. & Vol. X. p. 101. seq. Auctores *Grammaticæ Græcæ* Marchicæ p. 1241. &c. Ex Grammaticis nominamus SIMONIS PORTII *Grammaticam Græco-Barbaram*, THOMÆ, Capucini Galli, *Novam Methodum discendi elementa linguæ Græcæ vulgaris*, (Latine, Gallice & Italice conscriptam,) J. M. LANGII *Grammaticæ Barbaro-Græcæ Synopsin*, (quæ in eius *Philologia Barbaro-Græca* habetur,) TRIBBECHOVII *Elementa linguæ Græcæ vulgaris*, Celeb. J. H. CALLENBERGII *Grammaticam linguæ Græc. vulg.* in Tabulis Synopticis, &c. Ex Lexicis laudantur MART. CRUSII *Lexicon Barbaro-Græcum*, SIMONIS PORTII *Dictionarium Latino-Græco-Barbarum*, ALEXII de SOMAVERA *Thesaurus linguæ Græcæ vulgaris*, a THOMA modo dicto editus, JOH. MEVRSII *Glossarium Græco-Barbarum*, CAROLI DV FRESNE *Glossarium ad scriptores mediæ & infimæ Græcitatis*, J. M. LANGII *Compendium Glossarii Barbaro-Græci*, in eiusdem *Philologia Barbaro-Græca* sæpius laudata exstans, & alia apud FABRICIVM l. c. Reliquit & J. H. MAJVS (fil.) *Glossarium Græco-Barbarum* mscr. nondum editum.

SECTIO

SECTIO X.

DE
INTERPUNCTIONIBUS
ET
MENSIBUS GRÆCORUM.

SECTIO X.

DE INTERPUNCTIONIBUS ET MENSIBUS GRÆCORUM.

CAPUT I.

DE INTERPUNCTIONIBUS.

§. I.

Restant duo Grammatices Græcæ momenta, quæ quia ad linguæ Græcæ exactam notitiam faciunt, plerisque Institutionibus Grammaticis subiici solent: *Interpunctiones* nimirum sive *Distinctiones* & *Mensium* Græcorum sive *Calendarii* Græci ratio. Per *Interpunctiones* intelliguntur signa illa, quæ orationem in sua membra distinguunt: quorum cognitio adeo necessaria est, ut sine illis neque quis sermonem Græcum legere neque intelligere recte possit. Quanti momenti in N. T. Græco sint, & quantopere eius Textum pervertere valeant *Distinctiones*, Sectione sequente c. 2. docebitur. Quis vero signa illa primus invenerit, tam incertum est, quam certum, ea

ea cum litteris nequaquam eiusdem esse antiquitatis: quia Græci antiquissimi voces litteris maiusculis scriptas continua serie coniunxerunt, ut supra Sect. II. §. 23. observavimus. CLERICUS in *Arte Critica* P. III. Sect. I. c. 10. §. 19. *Distinctionum* signa illa iam ARISTOTELIS tempore obtinuisse credit, idque ex huius *Rhetoricorum* L. III. c. 5. colligit, ubi ARISTOTELES scripta HERACLITI interpunctu esse difficilia dicit: unde tamen alii plane in contrarium argumentantur. SALMASIUS in *Epist.* ad SARRAVIUM apud MORHOFIUM in *Polyh.* T. I. L. I. c. 7. eorum inventionem ARISTOPHANI tribuit, Grammatico Byzantino, qui idem & Accentus invenisse putatur, conf. Sect. II. §. 22. quam sententiam etiam sequuntur B. G. STRUVIUS in *Collectaneis Manuscriptorum* Fasc. I. §. 29. J. C. H. TROTZ in notis ad HUGONEM de *prima scribendi origine* p. 246. Contra vero J. H. MAJUS in *Examine Historiæ Crit. Rich. Simonis* p. 477. seq. *Interpunctionum* Græcarum originem ab Accentibus Hebræorum derivat, comparans *Colon* ratione figuræ & propemodum etiam usus cum Hebræorum *Soph Pasuk* vel *Sakeph Katon*; *Punctum* cum *Rebhia*, *Semicolon* cum *Tebhir* & *Comma* denique cum *Paschta*.

§. II.

Quicquid sit, signa *Interpunctionum* iam dudum ante natum Christum usu obtinuisse, ex DIONYSII *Thracis*, veteris Grammatici, Τέχνῃ Γραμματικῇ patet. Fuit ille discipulus ARISTARCHI & tempore POMPEII M. Romæ docuit. Ex libello enim illo, quem ex Apographo *Holsteniano* primus

primus evulgavit FABRICIUS in *Bibliotheca Græca* T. VII. p. 26. seq. nec non ex DIOMEDE de *Orationis partibus* L. II. & ex DONATO liquet, antiquis tres saltem fuisse *Interpunctiones*, quæ singulæ per unicum Punctum, diversimode positum, indicabantur. Finem periodi notabat Punctum ad summum litteræ ultimæ positum, quæ *Interpunctio* vocabatur στιγμὴ τελεία i. e. *distinctio perfecta;* idem ad medium litteræ positum, fere *Colon* vel *Semicolon* exprimebat, quæ dicebatur στιγμὴ μέση, h. e. *distinctio media;* & denique ad imum litteræ collocatum, *Comma* significabat, quæ distinctio appellabatur ὑποστιγμὴ i. e. *subdistinctio*. Conf. CONSTANTINI LASCARIS *Gram. Græc.* p. 86. Nulla itaque tunc temporis erant *interrogationis* & *exclamationis* signa, quæ demum post inventam artem typographicam introducta esse putat CLERICUS l. c. ostendit vero MONTFAUCON in *Palæographia Græca* L. I. c. 4. signum *interrogationis* iam in codicibus mscr. ex seculo nono reperiri. Conf. G. F. ROGALLI Dissert. de *auctoritate & antiquitate Interpunctionum in N. T.* §. 2.

§. III.

In scriptis Græcis, qualia nunc habentur, vulgo quinque *Interpunctionum* signa occurrunt, partim cum Latinis eadem, partim ab iis diversa. *Interpunctionum* signa, quæ cum Latinis conveniunt, sunt *Punctum*, *Comma* & *signum exclamationis*. *Colon* vero & *signum interrogandi* a Latinis differunt. Illud enim non ex duobus Punctis, sed unico tantum, ad summum litteræ ultimæ posito, constat, ut Θεός· *Signum* vero *interrogationis* eius-

eiusdem figuræ eſt cum *Semicolo* Latinorum & quaſi *ſignum interrogationis* Latinorum inverſum, ut τίς; Quamvis multi recentiorum in ſcriptis Græcis *Colon* & *Semicolon* Latinorum adhibere ſoleant. Sunt, qui ſignis *Diſtinctionum* Græcarum etiam Puncta *Diæretica* & *Hypodiaſtolen* annumerant, de quibus ſupra Sect. II. §. 38. Cæterum monendum eſt, in ſcriptura Græca maiuſcula æque ac apud Latinos in ſtylo ſic dicto *lapidari*, omnia *Diſtinctionum* ſigna omitti, vel ſingulis vocabulis unicum ſaltem Punctum interponi. Ubi vero & quomodo in ſcriptura minuſcula *Interpunctiones* ponendæ ſint, pluribus docet HEDERICUS in *Manuduct. ad ſcientias Philolog.* p. 137. ſeq. Præter ſigna *Diſtinctionum* modo adducta habent Græci & alia quædam, quibus litteras vel voces ab invicem diſtinguunt: ut ſunt linea, litteris numeralibus apponi ſolita, de qua Sect. II. §. 14. linea item, quæ vocibus decurtatis, Nominibus *Propriis* &c. imponi ſolet, ut κς pro κύριος, Ὀδυσσεὺς &c. conf. *Grammatica Græca* Marchica p. 131.

CAPUT II.

DE MENSIBUS GRÆCORUM.

§. IV.

De *Menſium* ſive *Calendarii* Græcorum ratione ut magis conſtet, quatuor disquirenda ſunt: 1) *Menſium* Græcorum *nomina*, 2) anni

ni Græci *initium*, 3) ſingulorum menſis dierum *diviſio* & *nomina*, 4) *Calendarii* veteris mutatio. Quemadmodum plurimæ fuerunt Græcorum nationes, ita & menſes ſuos variis nominibus inſigniviſſe reperiuntur. Aliter enim Macedones, aliter Bithyni, aliter Paphii, aliter Lacedæmonii &c. ſuos nominarunt menſes: quæ varia menſium *nomina* pluribus recenſet J. A. FABRICIUS in *Menologio* p. 42. ſeq. ubi *nomina* menſium centum fere gentium exhibentur. Ex omnibus vero Græcorum nationibus Athenienſium præſertim *Calendarium* conſiderari meretur. Athenienſes, æque ac Romani, duodecim menſes habebant, quorum *nomina*, ut plurimum a *feſtis* petita, ſunt ſequentia: I) Ἑκατομβαιὼν, cui exinde nomen tribuerunt, quod eo menſe plurimæ *hecatombæ* offerrentur. II) Μεταγειτνιὼν, ſic dictus a feſto Μεταγείτνια, quod menſe illo in honorem Apollinis celebrabatur. III) Βοηδρομιὼν, quia in eum incidit feſtum Athenienſium, βοηδρόμια dictum. IV) Πυανεψιὼν, cui feſtum Apollinis Πυανέψια nomen dedit. V) Μαιμακτηριὼν, a μαιμακτὴρ, alias μαιμάκτης, i. e. *turbulentus, impetuoſus:* quo nomine Jovem vocabant, quia menſe illo aërem *turbulentum* & *impetuoſum* reddere credebatur. VI) Ποσειδεὼν, a Ποσειδῶν *Neptunus*, cui menſis ille ſacer fuit. VII) Γαμηλιὼν, a γαμήλια, *nuptiæ*, fortaſſis ſic dictus, quia eo menſe nuptiæ ut plurimum celebrari ſolebant; aliis a Γαμηλία, *Junonis* cognomine, cui ille conſecratus fuit. VIII) Ἀνθεστηριὼν, a feſto Bacchi Ἀνθεστήρια. IX) Ἐλαφηβολιὼν, a feſto Dianæ Ἐλαφηβόλια. X) Μουνυχιὼν, a feſto Dianæ Μουνύχια. XI) Θαργηλιὼν,

P a feſto

a festo Apollinis & Dianæ Θαργήλια. XII) Σκιῤῥοφοριὼν sive Σκιροφοριὼν, a festo Minervæ Σκίρα, quo sacerdotes σκίρον, *umbellæ* genus, circumferebant. *Menses* illi initio quidem singuli 30 diebus, posthæc vero alternatim vel 30 vel 29 diebus constabant; ita tamen, ut mensis 30 dierum mensem 29 dierum semper præcederet, non, ut quidam volunt, vice versa: e. g. Ἑκατομβαιὼν erat 30 dierum, at sequens Μεταγειτνιὼν 29, & sic deinceps. *Menses* 30 dierum dicebantur *pleni*, (Judæis מלאים,) vel δεκαφθινοὶ, i. e. *in decem desinentes;* menses vero 29 dierum *cavi* vel ἐναφθινοὶ h. e. *in novem desinentes:* quia tertia mensis *pleni* decas in diem trigesimum, *cavi* autem in vigesimum nonum desinebat. Circa ordinem vero mensium, maxime mediorum, a quarto usque ad octavum, non consentiunt auctores; conf. FABRICIUS l. c. p. 52. seq.

§. V.

Primitus quidem Athenienses annum a solstitio hiberno auspicabantur; postquam vero METON, Mathematicus Atheniensis, annum aliter ordinasset, cum primo novilunio (non, ut quidam scribunt, cum plenilunio) post solstitium æstivum. Solebant autem annos suos metiri ad cursum lunæ, ita quidem, ut singuli menses, ut modo dictum, essent 30 dierum. Ne vero annus a solis cursu recederet, THALES quovis finito biennio triginta dies intercalandos instituit. Sed cum hoc modo annus illorum *lunaris* biennii spatio annum *solarem* viginti diebus excederet, SOLON menses alter-

ternatim vel 29 vel 30 dierum esse voluit. Quia tamen neque ista anni ordinatio solis cursui exacte respondebat, hinc certum quendam annorum *Cyclum* introducebant, primo quidem *quatuor annorum:* ubi partim mensis intercalabatur, partim etiam unus vel duo dies eiiciebantur; deinde vero *octo annorum.* Donec tandem METON *Enneadecaëteridem* sive *Cyclum novendecim annorum* statueret, cui spatio septem menses *embolymæi* intercalabantur. Annis scil. tertio, quinto, octavo, undecimo, decimo quarto, decimo sexto & decimo nono, mensi *Posideoni* adiiciebatur mensis quidam decimus tertius, *Posideon secundus* vocari solitus: quo pacto novilunia ad pristinum anni primi tempus reducebantur. *Cyclum* illum postea, a CALLIPPO emendatum, Judæi quoque receperunt, qui *Veadar* suum sive *Adar secundum* intercalabant. Conf. RELANDUS in *Antiquitat. Hebr.* P. IV. c. 1. §. 2. SCALIGER de *Emendatione temporum* L. II. p. 72. seq. & L. V. p. 409. seq. PETAVIUS in *Doctrina temporum* L. II. c. 9. seq. & L. X. c. 30. & DODWELLUS de *Cyclis Græcorum.* Patet exinde, frustra esse illos, qui conciliationem anni Græci & nostri instituunt, neque dici posse, *Hecatombæonem* Græcorum respondere vel Junio vel Julio nostro: cum menses Græcorum tantopere variarent.

§. VI.

Quemadmodum Romani menses suos diviserunt in *Calendas*, *Nonas* & *Idus:* ita Græci singulos menses in tres distribuerunt *Decades.* Prima

Decas dicebatur ἱςαμένȣ μηνὸς, *ineuntis mensis*; secunda μεσȣ̃ντος μηνὸς, *medii mensis*, s. ἐπὶ δέκα, *ultra decem*; tertia φθίνοντος (s. λήγοντος s. ἀπιόντος s. παυομένȣ) μηνὸς, *deficientis* sive *exeuntis mensis*, vel ἐπ' εἰκάδι i. e. *ultra vigesimum diem.* Juxta hanc divisionem *prima* mensis dies vocabatur νȣμενία *plenilunium*, vel πρώτη τȣ̃ ἱςαμένȣ (μηνὸς), *secunda* δευτέρα τȣ̃ ἱςαμένȣ, & sic porro usque ad *decimam*, quæ δεκάτη vel δεκὰς appellabatur. Dies *undecima* dicebatur πρώτη τȣ̃ μεσȣ̃ντος (μηνὸς), vel πρώτη ἐπὶ δέκα, *duodecima* δευτέρα τȣ̃ μεσȣ̃ντος vel δευτέρα ἐπὶ δέκα, & sic deinceps usque ad *vigesimam*, quæ εἰκὰς vocabatur. Tertia mensis *Decas* a die *vigesima prima* vel eodem modo numerabatur: ita ut *vigesima prima* diceretur πρώτη ἐπ' εἰκάδι; vel adhibito τȣ̃ φθίνοντος, dies, ut apud Romanos, retro computabantur: ut dies *vigesima prima* esset δεκάτη τȣ̃ φθίνοντος, *vigesima secunda* ἐννάτη τȣ̃ φθίνοντος, & sic porro usque ad *trigesimam*, quæ τριακὰς dicebatur &, iubente SOLONE, ἕνη καὶ νέα, i. e. *vetus ac nova*: quia finis erat *veteris* & initium *novi* mensis, novilunio quippe haud raro in ipsam illam diem incidente; denique vero in honorem *Demetrii* Poliorcetæ vocata est *Demetrias*. Quod si vero mensis dierum esset viginti novem, ultima eius dies non poterat dici τριακὰς, & aliter quoque *Decas* tertia numeranda erat: tunc enim dies *vigesima prima* dicebatur ἐννάτη τȣ̃ φθίνοντος, *vigesima secunda* ὀγδόη τȣ̃ φθίνοντος, & sic porro. Morem illum, mensem dividendi in tres *Decades*, vetustissimum esse, videre est ex HOMERO *Odyss.* XIV. 162. & HESIODO *Oper. & Dier.* v. 796.

§. VII.

§. VII.

Sunt, qui Athenienſes, regnante Alexandro M. ad exemplum Macedonum, annos *ſolares* recepiſſe hosque ab æquinoctio autumnali inchoaſſe, referunt, ita ut Μαιμακτηριὼν primus anni menſis fuerit. Id certum eſt, Græcos tandem, iubente Auguſto Imperatore, *Calendarium* ſic dictum *Julianum* adſciviſſe annumque incepiſſe cum menſe *Elaphebolione*. Cum itaque Romanorum menſes ex parte eſſent vel plurium vel pauciorum dierum, quam apud Græcos, iam etiam apud hos poterant eſſe menſes dierum 31, & aliquando 28. Quod ſi ergo menſes eſſent dierum 31, dies *vigeſima prima* dicebatur ἑνδεκάτη τȣ̃ φθίνοντος, & ſic deinceps. Si dierum eſſent viginti octo, *vigeſima prima* vocabatur ὀγδόη τȣ̃ φθίνοντος, *vigeſima ſecunda* ἑβδόμη τȣ̃ φθίνοντος &c. Tandem vero Græcis placuit, menſibus & diebus ſuis imponere nomina Romana eosdemque computare per *Calendas*, *Nonas* & *Idus:* ceu inter alia ex ſcriptis PLUTARCHI apparet.

§. VIII.

Si itaque hodiernum diem, quo hæc ſcribo, quique eſt *vigeſimus primus Julii*, iuxta vetus *Calendarium* Græcorum exprimere velimus, cum PETAVIO ſupponentes, *Hecatombæonem* noſtro reſpondere *Julio*, dicendum foret: τῇ πρώτῃ ἐπ' εἰκάδι, vel (retro numerando, & quia *Julius* eſt dierum 31,) τῇ ἑνδεκάτῃ τȣ̃ φθίνοντος Ἑκατομβαιῶνος,

undecimâ deficientis Hecatombæonis, i. e. *undecima a fine* vel *exitu Hecatombæonis*. Plura de *Mensibus* & *Calendario* Græcorum, præter Chronologos, habent GYRALDUS de *annis & mensibus*, & in *Calendario Romano ac Græco*; HADR. JUNIUS de *anno & mensibus*; ALLATIUS de *mensura temporum antiquorum* c. 10. seq. PETITUS ad *leges Atticas* p. 197. seq. & de *anno Attico*; MARSHAMUS in *Canone Chronico* p. 653. seq. THEOD. GAZA & PETR. CASTELLANUS de *mensibus Atticis*; aliique in Tom. IX. *Thesauri Antiquitat. Græc. Gronoviano*.



SECTIO

SECTIO XI.

DE

LINGUA ET TEXTU N. T. GRÆCO,

SECTIO XI.

DE
LINGUA ET TEXTU
N. T. GRÆCO.

CAPUT I.

DE
LINGUA N. T. ORIGINALI.

§. I.

Cum libri N. T. omnibus Græcorum ſcriptis tum ratione Cauſæ *Efficientis*, tum ratione Cauſæ *Materialis* & *Finalis*, longe excellant, iam paucis quoque de *Lingua* & *Textu N. T. Græco* agendum nobis eſt. Novum Teſtamentum lingua *Græca* ſcriptum eſſe, vel ſaltem omnes N. T. libros *Græce* ſcriptos ad nos perveniſſe, nemo ignorat. Videamus ergo: 1) quam ob rem N. T. lingua *Græca* exaratum ſit? 2) an ab initio omnes & ſinguli eius libri lingua illa conſcripti? 3) quanam Græcæ linguæ *Dialecto* & quo *ſtylo* N. T. conſignatum ſit? Ad primum itaque quod attinet, cur N. T. *Græca*, non vero, ut Vetus Teſtamentum, *Hebraica* vel tum temporis Judæis vernacula *Syro-Chaldaica* lingua, ſcriptum fuerit? diverſæ eius rei traduntur cauſæ,

conf. LEUSDENI *Philologus Hebræo-Græcus* Differt. II. PFOCHENII Differt. de *linguæ Græc. N. T. puritate* §. 16. J. H. MICHAELIS Differt. de *Textu N. T. Græc.* §. 3. feq. & JOH. OLEARII Differt. de *ftylo N. T.* Sect. II. Membr. I. Aphorifm. I. qui poftremus quatuor has caufas affert: I) quia tempore Chrifti & Apoftolorum ufus vulgaris linguæ Hebr. penes Judæos in communi vita plane perierat; II) quia incongruum fuiffet, Evangelium fcribere eorum lingua, qui præ omnibus terrarum orbis incolis Evangelium maxime fpernebant & oppugnabant; III) quia lingua Græca non folum inter omnes gentes nota & familiaris, fed & apud Judæos, immo omnes fere orientales in ufu & quafi vernacula fuit; IV) quia non folum tota gentilium Philofophia hac lingua potiffimum confcripta erat, fed & Græcæ fcholæ atque litteræ cæteris palmam facile præripiebant, & ipfi Judæi linguam Græcam magni æftimabant. Multa tamen J. C. SCHWARZIUS in *notis* ad OLEARII *Differtationem* modo laudatam in contrarium excipit. Conf. Celeb. C. G. HOFFMANNUS in Additament. ad PRITII *Introduct. in N. T.* p. 287. feq.

§. II.

Quamvis autem omnes N. T. libri lingua confcripti *Græca* iam nobis fuperfint, multi tamen, quosdam illorum alia lingua fuiffe confignatos, contendunt. Pertinet huc I) Evangelium Matthæi, quod initio lingua *Hebraica* vel *Syro-Chaldaica* fcriptum effe, tradunt ex veteribus PAPIAS, IRENÆUS, THEOPHYLACTUS, HIERONYMUS, Interpres N. T. Syrus &c. & HIERONYMUS

NYMUS quidem in *Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſt.* c. 3. teſtatur, ſuo tempore in bibliotheca martyris Pamphili exſtitiſſe Cæſareæ exemplar illius *Hebraicum*, ſeque ipſum Evangelium Matthæi *Hebr.* ex Nazaræorum Berrhœenſium deſcripſiſſe apographo. Ex *Hebraico* deinde, ut ATHANASIUS in *Synopſi SS.* tradit, a JACOBO *Minore*, vel, ut THEOPHYLACTUS in Præfat. ad *Commentar. in Matth.* refert, a S. JOHANNE Græce translatum eſt. Quæ veterum traditio non paucis recentiorum probatur, ut CASAUBONO, GROTIO, CALIXTO, HORNEIO, HUNNIO, DANNHAUERO, MEISNERO, CAVEO, RICH. SIMONIO, TILLEMONTIO, DUPINIO, Celeb. J. D. MICHAELIS in *Introduct. in libros N. T.* p. 18. & p. 358. ſeq. &c. ab aliis vero maiori iure repudiatur, ut ab ERASMO, FLACIO, BEZA, JUNIO, GERHARDO, WALTHERO, LIGTFOOTO, HOTTINGERO, CHAMIERO, CALOVIO, MAJO, &c. Scripta hanc in rem adducta videas apud FABRICIUM in *Codice Apocrypho N. T.* P. I. p. 355. & P. II. p. 542. & apud J. C. SCHWARZIUM l. c. p. 197. Evangelium Matthæi non alia, quam *Græca* lingua conſcriptum fuiſſe, ex eo probatur, quod 1) Textus eius *Græcus*, non vero *Hebraicus*, a primitiva eccleſia receptus fuerit; 2) quod providentia divina primorumque chriſtianorum cura Evangelium Matthæi *Hebraicum*, ſi authenticum fuiſſet, intercidere nunquam permiſiſſet. *Hebraicum* enim Matthæi Evangelium, quod hodienum habemus, primum a MÜNSTERO & JOH. TILIO editum, communi conſenſu pro ſuppoſititio habetur. 3) Illa veterum traditio incertior eſt, quam ut ei tuto credatur; cum præcipue PAPIÆ, viri

viri fabularum amantiſſimi, fide nitatur. Ut alia taceamus.

§. III.

Dicitur & II) Epiſtola ad Hebræos conſignata fuiſſe lingua *Hebraica:* id quod ex veteribus CLEMENS *Alexandrinus*, ORIGENES, HIERONYMUS, THEODORETUS, THEOPHYLACTUS &c. teſtantur, quos etiam BARONIUS, BELLARMINUS, ESTIUS, TOSSANUS, SALMASIUS, SALOMO *van* TILL, &c. ſequuntur; maxime vero JOSEPHUS HALLETUS, Anglus, in peculiari *Commentatione* id adſtruere annititur, quam J. C. WOLFFIUS Tomo III. *Curar. Critic.* p. 806. ſeq. Latine converſam & refutatam exhibet. Refutavit & HOFFMANNUS l. c. p. 304. ſeq. Doctiſſ. autem J. D. MICHAELIS eandem HALLETI *Commentationem* ſuæ JAC. PEIRCII *Paraphraſeos in Epiſt. ad Hebræos* verſioni præfixit eiusque ſententiam contra WOLFFIUM denuo aſſeruit, vid. & eiusdem *Introduct. in libros N. T.* l. c. Ex *Hebraico* hæc Epiſtola, referente CLEMENTE *Alexandrino*, a S. LUCA; vel ut alii Patres tradunt, a BARNABA aut CLEMENTE *Romano* Græce translata fuit. Præcipuum huius ſententiæ fundamentum eſt, quod Epiſtola illa, cum ad *Hebræos* perſcripta ſit, lingua quoque *Hebraica* concepta fuerit oporteat. Eadem vero in contrarium excipi hic poſſunt, quibus Evangelium Matthæi *Hebraicum* impugnatur. Multo minus III) merentur fidem Pontificii quidam, ut SALMERON in *Prolegom. in S. S.* PAULUM Epiſtolam ad Romanos ab initio lingua *Latina*, LUCAM vero, utpote natione *Syrum*, & JOHANNEM Evangelia ſua lingua exaraſſe

raſſe *Syriaca*, tradentes, conf. RUMPÆI *Commentatio Crit. ad N. T.* p. 88. HARDUINI audaciam, qui tantum non omnes N. T. libros a ſcriptoribus S. *Latine* ſcriptos & *Verſionem Vulgatam* ipſum eſſe Textum authenticum, in *Commentar. in N. T.* contendit, Celeb. D. BAUMGARTEN in *Vindiciis Textus Græci contra Harduinum*, modo laudatus J. D. MICHAELIS l. c. p. 256. ſeq. & J. A. OSIANDER in Orat. de *lingua N. T. authentica contra Harduinum*, repreſſerunt.

§. IV.

Sunt denique ex Pontificiis, ut BARONIUS Tom. I. *Annal. Eccleſiaſt.* ad an. XLV. BELLARMINUS de *Verbo Dei* L. II. c. 5. INCHOFERUS in *Hiſtoria ſacræ Latinitatis* L. V. c. 8. aliique, qui MARCUM Evangelium ſuum primitus lingua *Latina* ſcripſiſſe ſtatuunt, provocantes 1) ad nomen *Marci* Latinum; 2) ad ſcopum illius Evangelii, in eccleſiæ quippe *Romanæ* uſum litteris conſignati; 3) ad ſubſcriptiones Verſionis *Syriacæ*, ut & *Arabicæ* ab ERPENIO editæ; 4) ad teſtimonia GREGORII *Nazianzeni* in *Orat.* XXV. & DAMASI in *Pontificiali urbis Romæ*. At vero ex nomine *Marci* nihil certi definitur; alioquin etiam *Paulum* Epiſtolas ſuas *Latine* ſcripſiſſe ſequeretur; neque etiam, Marcum Evangelium ſuum in gratiam Romanorum conſcripſiſſe, probari poteſt; quid? quod lingua Græca tum temporis adeo trita fuit, ut neque Romani illam ignorarent. Verſionum *Syriacæ* & *Arabicæ* ſubſcriptiones id ſaltem dicunt, Marcum Evangelium *prædicaſſe Latine*, GREGORIUS vero *Nazianzenus* tantum refert, Marcum ſcripſiſ-

ſcripſiſſe Ἰταλίῃ *Italiæ*, i. e. *in gratiam Italiæ*, & DAMASUS denique ipſis Pontificiis ſanioribus pro exiguæ fidei auctore haberi ſolet. Quod ſi certo conſtaret, Marci autographum *Latinum* hodienum Venetiis ſupereſſe, & Imperatorem Carolum IV. eiusdem particulam, a Nicolao, Patriarcha Aquileienſi acceptam, Pragam miſiſſe, tunc controverſia illa facili negotio decidi poſſet. Codicem tamen mſcr. quod concernit, qui Venetiis capſulæ aureæ ſigilloque munitæ incluſus ſervatur & ægre monſtratur cupientibus, vetuſtate illum adeo attritum eſſe, ut diſtingui nequeat, utrum *Latine*, an *Græce* ſcriptus ſit? teſtantur, quibuscunque eius videndi copia data fuit. Conf. E. C. SCHROEDTERUS in Diſſert. de *lingua Evangeliſtarum authentica*, & in Diſſert. de *lingua Marci authentica*, J. C. SCHNERINGIUS in Diſſert. de *Evangelio S. Marci*, B. G. CLAUSWITZ in Diſſert. de *Autographorum Biblic. iactura innoxia* §. 14. J. FR. MAYERUS in Diſſert. *utrum Autographa Biblica hodie exſtent?* & J. P. de LUDWIG in *Novis hebdomadalibus Halenſibus*, (Halliſchen Anzeigen,) an. 1724. n. 6. 13. 14. 15.

§. V.

Sicut vero minime dubitandum eſt, totum N. T. lingua *Græca* fuiſſe conſignatum: ita de eiusdem *Dialecto* & *ſtylo* haud parum inter Philologos & Criticos diſceptatur. Quam in rem tot exſtant eruditorum ſcripta, numerari ut vix queant. Eorum collectiones dederunt JAC. RHENFERDIUS & TACO HAIO *van den* HONERT: quibus tamen plura alia ſuperaddi poſſunt, ut JOH. MUSÆI Diſſert. de

de *ſtylo N. T.* OLAI CELSII Diſſert. de *lingua N. T. originali*, SAM. WERENFELSII Diſſert. de *ſtylo ſcriptorum N. T.* J. H. MICHAELIS Diſſert. de *Textu N. T. Græc.* JOH. VORSTII Cogitata de *ſtylo N. T.* GOTTFR. WEISII & J. C. WAGENSEILII Diſſertationes de *Græca lingua N. T. originali* &c. Plura infra ſuo loco recurrent. Conf. & Celeb. PFAFFII Prolegom. ad *Notas in Matthæum* p. 29. ſeq. In N. T. Græco voces *peregrinas*, ut *Latinas*, *Hebraicas*, *Chaldæo-Syras* aliasque *orientales* hinc inde occurrere, nemo facile negaverit. Eiusmodi vocabulorum *exoticorum* explicationes exhibent GUALTPERIUS in *Syllabo vocum exoticarum N. T.* CHEITOMÆUS in *Græco-barbaris N. T. quæ orienti originem debent*, DRUSIUS in *Commentar. ad voces Hebraicas N. T.* CANINIUS in *Locis N. T.* PFEIFFERUS in *Quinquagenis Locorum Hebraicorum & exoticorum N. T.* SUANTENIUS in *Leipſanis Syriacis Codicis Græci N. T.* &c. Quales tamen voces *peregrinæ* etiam apud alios auctores offenduntur. Id quoque certum eſt, in N. T. omnium *Dialectorum* Græcarum dari exempla, ut WYSSIUS in *Dialectologia S.* G. PASOR in *Idea Dialectorum N. T.* LEUSDENIUS in *Philologo Hebræo-Græco* Diſſert. XI. SCHERERZIUS in *Animadverſ. in Philologiam* L. II. c. 8. JOH. OLEARIUS de *ſtylo N. T.* Sect. II. Aphoriſm. 8. Membr. I. aliique ostenderunt. *Dialecti Atticæ* exempla in ſingulis fere verſiculis exſtant. Reliquarum *Dialectorum* ſaltem quædam exempla in medium producemus. Ad *Dialectum Jonicam* referenda ſunt διόσκυροι pro διόσκοροι Act. 28, 11. κατάβα pro κατάβαθι Marc. 15, 30. &c. ad *Doricam* σίγασι pro

σίγη-

σίνηπι Marc. 4, 31. ad *Aeolicam* ἦσθα pro ἦς Matth. 26, 69. &c. ad *Bœoticam* refertur ἐδολιοῦσαν pro ἐδολίουν Rom. 3, 13. τέθεικα pro τέθηκα Act. 13, 47. ad *Poëticam* εἵνεκεν pro ἕνεκεν 2 Cor. 7, 12. conf. tamen ſupra Sect. IX. §. 3. Contra vero Doctiſſ. C. G. GEORGIUS in Diſſert. de *Dialecto N. T. Attica, Jonismos, Dorismos, Bœotismos & Poëtismos non admittente*, & in *Hierocritico N. T.* L. II. c. 2. pluribus contendit, non alias *Dialectos* præter *Atticam* in N. T. reperiri: quia auctores, *Dialecto Attica* uſi, ſimiles voces vocumque flexiones, alioquin *Dialectis Jonicæ, Doricæ, Aeolicæ* &c. tribui ſolitas, adhibeant. Conf. & J. C. SCHWARZIUS in *Notis* ad OLEARIUM l. c. p. 222. ſeq.

§. VI.

Præter voces *exoticas* & *Dialectos* Græcas etiam *Hebraismi* ſive phraſeologiæ *Hebraicæ*, ex V. T. Hebraico & LXX Interpretum Verſione Græca petitæ, tumque temporis Judæis familiares, in N. T. occurrunt. Exinde JOS. SCALIGER in *Animadverſ.* ad EUSEBII *Chronic.* p. 124. linguam Græcam N. T. primus dixit *Helleniſticam:* quod tamen alii JOH. DRUSIO tribuunt. Id ipſum vero DAN. HEINSIO anſam præbuit, in *Ariſtarcho S.* & in Præfat. ad *Exercitationes S. in N. T.* peculiarem nationem *Helleniſtarum*, i. e. eiusmodi hominum, qui extra Palæſtinam vixerint, ſingulari quadam *Dialecto Helleniſtica*, ex lingua Hebraica & Græca quaſi mixta, uſi, in medium proferendi. HEINSIUM plures alii ſecuti ſunt, ut GROTIUS, DANHAVERUS, LIGTFOOTUS, BOCHARTUS, L'EMPEREUR, LUD. *de* DIEU &c. conf.

conf. RVMPÆVS l. c. p. 70. & PFAFFIVS l. c. p. 31. seq. HEINSIO tamen eiusque linguæ *Hellenisticæ* se opposuit SALMASIVS in Præfat. ad Tractat. de *modo usurarum*, in Commentario de *lingua Hellenist.* & in *Funere* atque *Ossilegio linguæ Hellenist.* & tam linguam quam nationem *Hellenisticam* merum esse figmentum, ostendit: quod idem & JOH. CROJUS in *Observat. in N. T.* c. 30. seq. fecit; HEINSIUS autem sententiam suam in peculiari *Apologia* ulterius defendit. Negarunt insuper linguam gentemque *Hellenistarum* MATTH. COTTERIUS in Exercitat. de *Hellenistis & lingua Hellenistica*, JAC. BOHLIUS in *Excusatione absentiæ ab exequiis linguæ Hellenisticæ*, J. H. MAJUS in *Examine Historiæ Criticæ Rich. Simonis* p. 359. seq. & p. 369. seq. PFEIFFERUS in *Critica S.* cap. 3. sect. 2. quæst. 9. & in *Thesauro Hermeneut.* c. 8. multique alii apud RUMPÆUM l. c. p. 71. conf. CARPZOVII *Critica S. V. T.* p. 505. seq.

§. VII.

Quia tamen Act. 6, 1. c. 9, 29. c. 11, 20. *Hellenistæ* diserte memorantur, hinc quæritur: quinam & quales illi fuerint homines? FABRICIUS in *Biblioth. Græc.* Vol. III. p. 226. septem de illis eruditorum sententias numerat, quibus WOLFFIUS in *Curis Criticis* ad Act. 6, 1. plures superaddit. Diximus supra Sect. IV. §. 2. Verba in ίζω terminata pleraque esse *Imitativa*, ut adeo ἑλληνίζω significet *Græcos imitor:* unde ἑλληνισαὶ erunt *imitatores Græcorum*, adeoque non ipsorum Græcorum quædam natio. Cum autem Act. 6, 1.

 Helle-

Hellenistæ opponantur *Hebræis*, nonnulli exinde colligunt, *Hellenistas* revera fuisse *Græcos*. Quæ tamen consequentia nequaquam valet. Potuerunt enim *Hellenistæ* dici Judæi, qui loco vernaculæ lingua utebantur Græca eoque *imitatores* erant *Græcorum*; cum contra *Hebræi* appellarentur, qui *Hebraice* loquebantur: unde S. Lucas l. c. studio nomine *Hebræorum* pro consuetiori *Judæorum* utitur. Singularis est sententia FOURMONTII in Dissertatione, *Historiæ Academiæ Inscriptionum & elegantiorum litterarum* T. III. p. 105. seq. inserta, qui per *Hellenistas* intelligit Syros, a Græcis subiugatos & dehinc *Græcorum* mores atque ritus *imitatos*, quorum in numero & multi Judæi fuerint. Plura de *Hellenistis* & *lingua Hellenistica* dabunt, præter supra citatos, DILHERRUS in *Disputationibus Academ.* T. I. p. 301. seq. MORHOFIUS in *Polyhist.* T. I. p. 788. MUNTHE in *Historia linguæ Græc.* p. 40. JOACH. JUNGIUS de *stylo sacrarum litterarum & præsertim N. T. Græci, nec non de Hellenistis & Hellenistica Dialecto*, MART. SCHOOCKIUS, KIPPINGIUS, BENZELIUS, NORMANNUS, LEUBSCHERUS, P. SLEVOGT, JOH. THUN, S. MOVIUS, P. LASCENA &c. in peculiaribus *Dissertationibus*. De BALTH. STOLBERGII Tractatu eiusdem argumenti inedito vid. LIZELII *Historia Poëtarum Græcorum Germaniæ* p. 275.

§. VIII.

Quamvis autem, N. T. lingua plane singulari, *Hellenistica* dicta, scriptum esse, demonstrari nequeat, *Hebraismos* tamen, h. e. constructiones

vocum

vocum Græcarum ad modum *Hebræorum*, significationes earundem ad *Hebraicam* linguam accommodatas &c. in N. T. Græco occurrere, non æquo iure negatur: quam circa rem alios in *defectu*, alios in *excessu* aberrare videas. In *defectu* peccant, quicunque asserunt, alias phrases atque locutiones in N. T. non reperiri, nisi quibus & alii scriptores Græci profani usi sint. Primus id voluit HENR. STEPHANUS in Differt. de *stylo N. T. Græco*, quam suæ N. T. editioni, an. 1576. in lucem emissæ, præfixit. Posthæc SEB. PFOCHENIUS in Diatribe de *linguæ Græcæ N. T. puritate*, edit. an. 1629. eandem sententiam defendit. Idem fere senserunt BALTH. BEBELIUS in Exercit. de *phrasi N. T.* ERASMUS SCHMIDIUS in *Annotat.* in N. T. & JOH. ERIC. OSTERMANNUS in *Disputationibus Philolog. Græcum N. T. Textum concernentibus*, aliique apud RUMPÆUM l. c. p. 63. 64. Nostra ætate ANT. BLACKWALL in *Critica S. N. T.* & Celeb. GEORGIUS in Dissertat. de *Hebraismis dictioni N. T. immerito affictis*, & in *Vindiciis N. T. ab Hebraismis*, omnibus *Hebraismis* ex N. T. eliminandis multum operæ dederunt. Contra vero *Hebraismos* N. T. defenderunt JOH. OLEARIUS, GLASSIUS, BARTH. MAYERUS, DANHAUERUS, LAUR. FABRICIUS, CALOVIUS, AUG. PFEIFFERUS, HACSPANIUS, LEUSDENIUS, WYSSIUS, PASOR, J. H. MICHAELIS, Celeb. J. D. MICHAELIS in *Introduct. in libros N. T.* p. 28. seq. aliique apud J. J. SCHUDTIUM in *Deliciis Hebræo-Philolog.* p. 255. 256. maxime vero JOH. VORSTIUS in *Philologia S.* sive Commentario de *Hebraismis* N.

T. (h) & qui PFOCHENIUM ſpeciatim refutavit, THOM. GATAKERUS in Diſſert. de *ſtylo N. T.* conf. J. V. WAGNERI *Obſervationes circa Hebraiſmos N. T. Græci.*

§. IX.

In *exceſſu* aberrant, qui præter *Hebraiſmos* etiam aliarum linguarum *Idiotiſmos* & phraſes in N. T. inveniſſe ſibi videntur, ut *Latiniſmos*, *Chaldæo-Syriſmos*, *Arabiſmos*, *Perſiſmos*, *Rabbiniſmos*, atque adeo *Barbariſmos* ac *Solæciſmos*, & quod ad PAULI *Epiſtolas* inſpecie attinet, *Ciliciſmos* & ſtylum quendam *idioticum*. Sic enim e.g. ἀφιέναι τὰ ὀφειλήματα Matth. 6, 12. *Chaldæo-Syriſmus* eſſe putatur, vid. OLEARIUS de *ſtylo N. T.* Sect. II. Membr. 3. Aphorism. 6. συςοιχεῖν Gal. 4, 25. pro *Arabiſmo* habetur, conf. J. C. SCHWARZIVS ad OLEARIVM l. c. p. 353. ſeq. ὀφθαλμὸς πονηρὸς Matth. 6, 23. *Rabbiniſmum* eſſe volunt; μεγιςᾶνες Marc. 6, 21. vox *Perſica* eſſe creditur, & συμβέλιον λαβεῖν Matth. 12, 14. *Latiniſmus*. Scribit HIERONYMUS in *Epiſt. ad Algaſiam*, Paulum verba quædam uſurpare iuxta phraſeologiam urbis ſuæ & provinciæ, *Tarſi* videlicet & *Ciliciæ*; & CLERICUS in *Arte Critica* P. II. c. 11. §. 10. itemque in notis ad HAMMONDI *Paraphraſin N. T.* 2 Cor. 11, 6. Paulo orationem βαρβαρίζεσαν & *idioticam*, i. e. qualis eſt

(h) In VORSTII *Philologiam illam S.* HORATIUS VITRINGA *Specimen Obſervationum* conſcripſit, quod LAMB. BOS auctius cum *Obſervationibus* ſuis *Miſcellaneis* edidit.

est *idiotarum* hominumque plebeiorum, tribuit. *Barbarismos* & *Solœcismos* in N. T. occurrere, iam ex veteribus existimarunt ORIGENES, CHRYSOSTOMUS, IRENÆUS, HIERONYMUS; ex recentioribus vero SEB. CASTELLIO, SALMASIUS, ERASMUS, BEZA, PISCATOR, JOACH. CAMERARIUS, RICH. SIMONIUS, aliique apud RUMPÆUM l. c. p. 69. PFAFFIUM in Prolegom. ad *Notas in Matthæum* p. 35. & apud C. G. HOFFMANNUM in *Additamentis* ad PRITII *Introduct. in N. T.* p. 315.

§. X.

Assertis illis, veluti auctoritati S. S. haud parum præiudicantibus, complures serio contradixerunt: ut HENR. STEPHANUS in Dissert. de *stylo N. T.* STOLBERGIUS in Exercitat. de *Solœcismis & Barbarismis N. T. falso tributis*, OLEARIUS l. c. Sect. III. BOECLERUS in *Append.* ad Dissert. de *lingua N. T. originali*, DILHERRUS in Dissert. de *vitiis linguarum præcipuis* §. 14. seq. JAC. GROSSIUS in Triade Propositionum Theolog. *stylum N. T. Græcum a barbaris criminationibus vindicantium*, AD. RECHENBERGIUS in Diss. de *stylo Pauli Epistolico* §. 4. seq. J. C. SCHWARZIUS in Dissert. de *Soloecismis discipulorum Jesu antiquatis*, G. W. KIRCHMEIERUS in Dissert. de *Chaldæo-Syrismis, Rabbinismis & Persismis dictioni N. T. immerito affictis*, J. H. MAJUS in *Examine Rich. Simonis Historiæ Criticæ N. T.* c. 26. J. H. MAJUS (fil.) in *Vindiciis Græcæ veritatis stylique Apostolici*, LAUR. MÜLLERUS in Dissert. de *stylo idiotico scriptoribus N. T. affricto*, modo laudatus GEORGIUS in Dissert.

de *peregrinis Idiotismis sermoni N. T. Græco affictis*, a S. F. DRESIGIO in Differt. de *Latinismis N. T. merito & falso suspectis*, hinc impetitus; cui GEORGIUS respondit in Differt. de *Latinismis Græcæ N. T. dictioni immerito affictis.* Priusquam vero hæc GEORGII Differtatio publice proponeretur, DRESIGIUS ei opposuit *Vindicias* Differtationis suæ modo dictæ; GEORGIUS vero denuo sese defendit in *Apologia* Differtationis de *Latinismis N. T. immerito affictis*, cui DRESIGIUS novas *Vindicias* obiecit, GEORGIUS autem secundam *Apologiam* superaddidit. Singula illa scripta eristica coniunctim edita leguntur in GEORGII *Hierocritici N. T.* Parte II. in cuius Parte I. idem *Idiotismos*, ut & *Syro-Chaldaismos*, *Rabbinismos & Persismos* N. T. impugnat.

CAPUT II.

DE

TEXTU N. T. GRÆCO.

§. XI.

De *Textu* N. T. Græco quæcunque dici possunt, breviter complexuri, I) de eius præcipuis iisque vetustissimis *codicibus mscr.* & *editionibus*, II) de *Variantibus Lectionibus* earumque *abusu*, III) de variis N. T. *Partitionibus* & *Distinctionibus*, IV) de variis explicandi *Textum* Græcum modis atque subsidiis agemus. *Autographa* sive exemplaria *Textus S. N. T.* primæva

mæva iam dudum periisse, certum est atque exploratum; quamvis Veneti de *Autographo* Evangelii Marci glorientur, & in templo quodam Tolosæ in Gallia Evangelium Johannis, manu eius propria literisque scriptum inauratis, asservari dicatur, conf. præced. §. 4. *Autographorum* vero iacturam compensant *Textus* N. T. *Apographa*. Longum foret, omnia illa recensere *Apographa* sive codices N. T. mscr. de quibus pluribus agunt RICH. SIMON in peculiari *Dissertatione*, Gallice conscripta, & in *Historia Critica N. T.* c. 29. seq. FABRICIUS in *Biblioth. Græc.* Vol. III. p. 179. seq. MONTFAUCON in *Diario Italico* & in *Palæographia Græca*, MILLIUS, KÜSTERUS & MASTRICHT in *Prolegomenis ad N. T.* DU PIN in *Differt. Præliminar. ad Biblia S.* T. II. c. 3. Celeb. J. D. MICHAELIS in *Introduct. in libros N. T.* p. 64. seq. PFAFFIUS in Differt. de *Variis N. T. Lectionibus* c. 3. seq. Ven. BENGELIUS in *Apparatu Crit. ad N. T.* p. 374. seq. J. A. OSIANDER in *Orationum* Triga edit. Tubing. 1742. aliique apud RUMPÆUM in *Commentat. Crit. ad N. T.* p. 259.

§. XII.

Nos saltem præcipuos & vetustissimos codices N. T. mscr. recensebimus: ubi primum nobis occurrit Codex sic dictus *Romanus* sive *Vaticanus* & Codex *Alexandrinus*, qui de antiquitate mutuo quasi certant. Codex *Romanus* invenitur Romæ in bibliotheca Vaticana omnesque ultimæ antiquitatis notas continet: unde a plurimis pro omnium antiquissimo habetur, quod præsertim EMMANUEL *a* SCHEELSTRATE, quondam bibliothecæ Vaticanæ præfectus, (conf. BURNETI *Epi-*

stol. Itiner. p. 43.) MATTH. PFAFFIUS l. c. c. 3. & J. S. HICHTELIUS in Dissert. de *antiquitate Codicis Romani præ Alexandrino* asserunt: eo quod forma litterarum illius accurate respondeat litteris statuæ S. Hippolyti, an. 1551. in ditione Mediolanensi repertæ & dehinc bibliothecæ Vaticanæ illatæ. Cum itaque Hippolytus seculo tertio vixerit, & statua illa procul dubio statim post mortem eius erecta sit, inde concludunt, Codicem prædictum *Romanum* similiter vel tertio vel ineunte seculo quarto litteris exaratum, & ut coniicit HICHTELIUS, saltem ex parte ex ipsis N. T. *Autographis* fuisse descriptum: siquidem *Autographa* illa seculo tertio vel quarto adhuc superfuisse, ex TERTULLIANO de *Præscriptionibus* c. 36. & ex quodam PETRI *Alexandrini* fragmento colligi possit. Alii contra de tanta Codicis illius antiquitate dubitant, ut ERASMUS, EZECH. SPANHEMIUS, MILLIUS aliique, qui codicis *Alexandrini* antiquitatem præferunt. Conf. TENZELII *Colloquia menstrua* an. 1698. p. 978. Scriptus autem est *Romanus* ille Codex, ut omnia mscr. vetustiora, litteris *uncialibus* sive *maiusculis*, sine omni vocum Distinctione, continens tam LXX *Interpretum* Versionem V. T. quam Textum N. T. Dolendum vero est, quasdam *Textus* N. T. particulas in eo desiderari, eundemque admodum detritum esse & obliteratum: cui quidem defectui, litteras detritas atramento denuo obducendo, mederi voluerunt, sed sic præstantissimum Codicem plane deturparunt.

§. XIII.

Codex *Alexandrinus*, qui & *S. Theclæ* dicitur, hodie in regia bibliotheca Angliæ exstat, ideo-

ideoque *Alexandrinus* vocatur, quia CYRILLUS LUCARIS, cum adhuc Patriarcha esset Alexandriæ, eum ibi ære acquisivit, & deinde ad Patriarchatum Constantinopolitanum promotus, per legatum regis Angliæ ad aulam Ottomannicam, THOMAM ROE, an. 1628. CAROLO I. Angliæ Regi dono misit, addita relatione, Codicem hunc, iuxta veterem quandam traditionem, a S. Thecla, virgine nobili, ante annos 1300, paulo post Concilium Nicenum, descriptum fuisse; cui traditioni consonant verba Arabica, Codici adscripta: *Memorant, hunc librum scriptum fuisse calamo Theclæ martyris.* Constat ille IV voluminibus, quorum tria V. T. Græcum, quartum vero *Textum* N. T. exhibent, similiter litteris *uncialibus*, sine *Accentibus*, *Spiritibus* & *Interpunctionibus*, ita scriptus, ut omnes voces continuo cohæreant. Neque tamen & hic Codex suis nævis destituitur: nam & alicubi mutilus est, & litteræ sæpius confusæ, maxime illæ, quæ iuxta pronunciationem sic dictam *Reuchlinianam* similis soni sunt, ut ε & αι; η, ι, υ, ει & οι; αι & ει &c. unde ex ore dictantis descriptus esse colligitur. Hunc Codicem *Alexandrinum Romano* multi præferunt; cumprimis eius antiquitatem defenderunt WALTONUS in *Prolegomeno* IX. ad *Biblia Polyglotta* §. 34. PATRICIUS JUNIUS in Præfat. ad CLEMENTIS *Romani Epist. ad Corinth.* JOH. MILLIUS in *Prolegom. ad N. T.* GRABIUS in Præfat. ad *Octateuchum* LXX *Interpretum*, aliique apud TENZELIUM l. c. MILLIO quidem HICHTELIVS in *Dissert.* supra laudata, GRABIO vero OVDINVS sese opposuit in Triade *Dissertationum Critic.* utrique re-

 spon-

spondit J. H. SCHULZIUS in Differt. de *antiquitate Codicis Alexandrini*, huiusque antiquitatem novo argumento confirmavit. Conf. BENGELIUS l. c. p. 394. seq. & FRANCISCUS LEE in *notitia Codicis Alexandrini*.

§. XIV.

Codicibus *Romano* & *Vaticano* antiquitate suppar est Codex *Cantabrigiensis* vulgo dictus, quem THEOD. BEZA ex cœnobio S. Irenæi Lugdunensi in Gallia an. 1562. nactus, usurpavit & dehinc Academiæ *Cantabrigiensi* dono dedit, ubi adhuc asservatur. Antiquitatem plusquam mille annorum, iudicibus plurimis Criticorum, præ se fert, pergameno in forma quarta, litteris *uncialibus*, citra ullam Distinctionem, sed admodum vitiose scriptus, pariterque in fine foliis 66 mancus. Hunc sequitur Codex *Claromontanus* dictus, quem quondam cœnobium *Claromontanum* in agro Bellovacensi, deinde familia PUTEANORUM possedit & BEZA aliquamdiu usurpavit, fratres vero PUTEANI bibliothecæ regiæ Parisiensi legarunt. Continet saltem Epistolas Pauli, scriptus in folio, ut vocant, *minori*, litteris *uncialibus*, sine vocum Distinctione; Accentus vero a manu recentiori additi sunt. MORINUS Codicem hunc Hieronymi superare ætatem credidit; quod vero RICH. SIMON in *Historia Crit. N. T.* c. 34. refellit. Alius Codex antiquus in eadem bibliotheca regia exstat, seculo septimo scriptus, similiter solas Pauli Epistolas complectens. Occurrunt in illo Cola & Commata; Accentus vero manus recentior appinxit. Specimen eius exhibet MONTFAUCON in *Palæographia Græca* p. 217. Eiusmodi Codices anti-

antiqui passim supersunt in bibliothecis Italiæ, Galliæ, Angliæ, Germaniæ &c. quos recensent Auctores, supra §. 11. laudati.

§. XV.

Ex Apographis illis mscr. paulo post inventam artem typographicam plurimæ N. T. Græci editiones typis exscriptæ sunt. Prima N. T. Græci editio debetur FRANC. XIMENIO, Cardinali & Archiepiscopo Toletano, qui Biblia, *Complutensia* vulgo dicta; *Compluti*, Hispaniæ urbe, imprimi curavit. Initium operis præstantissimi factum est an. 1514. ad quod XIMENIVS codices vetustos mscr. quotquot nancisci potuit, ingentibus sumtibus conquisivit eoque 60000 solidos aureos impendit. An. 1517. adeoque ipso illo anno, quo B. LVTHERVS Ecclesiæ reformationem instituit, Biblia illa ad finem perducta sunt, quo anno & XIMENIVS e vita discessit. Mortuo illo impedimenta quædam intercedebant, quo minus operis publicatio ante annum 1523. vel 1524. fieret. Pauca vero eius exemplaria in alias regiones pervenerunt, unde summa eius raritas est atque caritas. Ex Bibliis hisce *Complutensibus* posthæc an. 1572. opus dirigente ARIA MONTANO, Biblia *Antwerpensia* nata sunt. Antequam XIMENII labor absolveretur, ERASMVS ROTERODAMVS an. 1516. Basileæ ex officina FROBENII N. T. Græcum cum versione & annotationibus suis edidit, sæpius deinde recusum. Ex ERASMI illa editione an. 1518. Venetiis editio *Aldina* ab ANDREA ASVLANO, ALDI genero, expressa est; quam plures aliæ N. T. Græci editiones hinc inde exceperunt: ut an. 1521. *Hage-*

Hagenovienſis, an. 1524. *Argentina*, an. 1531. *Baſileenſis*, &c. quo etiam pertinent tres ROBERTI STEPHANI (patris) editiones, prima anno 1546. in forma minima, ſecunda ab anno 1549. eadem forma, adeo emendate curata, ut erratis typographicis plane carere crederetur; (in qua tamen GODOFR. OLEARIVS in *Obſervat.* ad Matth. 4, 8. quatuordecim ſphalmata notavit;) tertia ab anno 1550. in forma maxima. Cuius exemplum ſecuti ROBERTVS & HENRICVS, eius filii, ille quidem an. 1569. hic vero an. 1576. editionem N. T. Græci in forma minima evulgarunt. Circa idem tempus, nimirum an. 1559. etiam THEOD. BEZA N. T. Græcum cum verſione & annotationibus Baſileæ primum in lucem emiſit, poſthæc aliquoties recuſum. Ut alias editiones taceamus, ut JOACH. CAMERARII, *Elzevirianas* &c.

§. XVI.

Ex editionibus N. T. Græci recentioribus præ cæteris memorari merentur I) STEPHANI CURCELLÆI, Theologi Arminiani, editio an. 1658. primum Amſtelodami in forma minima, & eo mortuo aliquoties typis excuſa: cui equidem CURCELLÆUS multum operæ & ſtudii adhibuit; ſed ex *Variantibus Lectionibus* ubique illas, quæ Socinianis favere videntur, prætuliſſe arguitur, conf. J. G. MOLLERI Diſſert. de *Curcellæo in editione N. T. Socinizante.* II) JOH. MILLII editio præſtantiſſima, opus triginta annorum, an. 1707. Oxonii ex *Theatro Scheldoniano* in forma maxima, cum eruditis Prolegomenis magnoque *Variantium Lectionum* apparatu. Quia tamen MILLIUS *Lectiones* illas *Varian-*

riantes citra neceſſitatem accumulavit & ex ipſis N. T. Verſionibus ſcriptisque Patrum conquiſivit, aucto earum numero ad 30000, hinc apud plurimos exiguam gratiam iniit. Nam & DAN. WHITBY, mortuo MILLIO, in *Examine Variantium Lectionum*, edito an. 1710. & JACOBUS L'ENFANT in duabus *Diſſertationibus*, & JOH. CLERICUS in Epiſtola quadam, (i) & S. R. C. B. MICHAELIS in Tract. de *Variis Lectionibus N. T. caute colligendis*, MILLII ſtudium improbarunt; & LUDOLFUS KÜSTERUS III) Amſtelodami an. 1710. editioni *Millianæ* aliam oppoſuit, falſis & ſuperfluis MILLII *Lectionibus Variantibus* omiſſis. IV) GERHARDI *de* MASTRICHT editio nitidiſſima pariter atque accuratiſſima, impreſſa Amſtelod. an. 1711. & recuſa an. 1735. V) Celeb. J. A. BENGELII editio cum *Apparatu Critico*, in forma quarta typis exſcripta Tubing. 1734. Ut plurimas alias editiones taceamus, de quibus vid. WALTONUS in *Prolegom.* IV. ad *Biblia Polyglotta*, JOH. MILLIUS in *Prolegomenis ad N. T.* JAC. LE LONG in *Bibliotheca S.* c. 3. FABRICIUS in *Biblioth. Græc.* Vol. III. p. 185. ſeq. J. D. MICHAELIS in *Introduct. in libros N. T.* p. 131. ſeq. aliique apud RUMPÆUM in *Commentat. Crit. ad N. T.* p. 274. conf. & J. B. REINHARDI Diſſert. de *primis N. T. Græci editoribus*.

§. XVII.

(i) *Diſſertationes* illæ & *Epiſtola*, Gallice conſcriptæ, leguntur in *Novis litterariis*, ab anno 1703. Amſtelodami ſub titulo *Bibliotheque Choiſie* edi cœptis.

§. XVII.

Secundum momentum, circa *Textum S.* N. T. conſiderandum, *Variantes Lectiones* ſic dictas concernit. Quod ſi Autographa ſcriptorum N. T. adhuc ſupereſſent, omnino ſuperfluum foret, diſputare de *Lectionibus Variantibus:* quia ſic ad illa ſemper recurri & lectio genuina ubique reſtitui poſſet. Cum vero res ſecus ſe habeat, non potuerunt non ſucceſſu temporis inter deſcribendum diverſæ oriri lectiones. Quo minus enim id fieret, continuis certe miraculis opus fuiſſet. Fuerunt itaque quovis tempore, qui lectionibus illis colligendis atque diiudicandis ſtudium impenderunt. Ex veteribus id iam præſtiterunt IRENÆUS, TERTULLIANUS, ORIGENES aliique. Inter recentiores plerique N. T. Græci editores annotationumque in illud conditores operam ſuam eo contulerunt; nemo vero maiorem diligentiam adhibuit, quam JOH. MILLIUS & LUDOLF. KÜSTERUS. Eiusmodi labor eo magis neceſſarius eſt, quod in nullo ſcripto antiquo tantus *Variantium Lectionum* numerus datur, quantus in N. T. Græco offenditur: cuius rei complures cauſæ adduci ſolent.

§. XVIII.

Præcipuæ *Variantium* N. T. *Lectionum* cauſæ derivandæ ſunt I) ab amanuenſibus, qui non, ut Apoſtoli & Evangeliſtæ, viri erant θεόπνευςοι, ſed, ut omnes alii homines, erroribus in deſcribendo obnoxii; præſertim ſi Autographa N. T. Græci, ut multi putant, ſine ulla Diſtinctione & Interpunctione, continua ſerie ſcripta fuerunt: quo pacto facile fieri potuit, ut quædam falſo legerint

&

& intellexerint, quædam omiserint, maxime superflua sibi visa; vel vocabula cognata permutarint, vel glossas marginales ipsi Textui S. intulerint, Textum vitiose distinxerint; vel quædam ex ore dictantium minus recte perceperint, vel quædam, sibi vitiosa visa, proprio nisu mutaverint, vel quædam ex LXX *Interpretibus* locisque parallelis addiderint &c. qua de re pluribus CLERICUS in *Arte Crit.* P. III. p. 88. seq. & S. R. PFAFFIUS in Dissert. de *Variis Lectionibus N. T.* c. 8. II) A Patribus, maxime quoties loca N. T. memoriter allegarunt: ubi sæpissime quædam illustrationis caussa addiderunt vel ἰσοδύναμα reposuerunt vel voces transposuerunt. Conf. JOH. CROII *Observat. S.* c. 18. seq. & RECHENBERGII Dissert. de *Variantibus Lectionibus N. T.* c. 1. §. 10. seq. III) Ab hæreticis, qui Textus S. loca quædam malitiose depravarunt: quod quidem JOH. MILLIUS in *Prolegom. ad N. T.* negat; testantur vero illud tum Patres, passim de istiusmodi depravationibus conquerentes, tum ipsa exempla, ut Hebr. 2, 9. pro χάριτι Θεȣ NESTORIUS legit χωρὶς Θεȣ, Rom. 9, 5. & Judæ v. 4. divinitatis Christi hostes vocem Θεὸς expunxerunt. Conf. CROIUS l. c. c. 14. & RECHENBERGIUS l. c. c. 1. §. 14. seq. RUMPÆUS in *Commentat. Crit. ad N. T.* p. 301. seq. &c. IV) Ab ipsis N. T. codicibus mscr. sæpius male & obscure, interdum & per *Abbreviaturas* scriptis temporisque tractu detritis & deletis, ut a librariis difficulter legi possent. Ut alias causas taceamus: de quibus pluribus JOH. SAUBERTUS in Epist. de *origine, auctoritate & usu Variarum N. T. Lectionum*, præmissa eius *Variis Lectionibus Tex-*

tus

tus Græci Evangelii S. Matthæi, S. R. D. MICHAELIS de *Variis Lectionibus N. T. caute colligendis & diiudicandis* §. 3. seq. BENGELIUS in *Apparatu Critico ad N. T.* p. 380. seq. Celeb. J. D. MICHAELIS in *Introd. in libros N. T.* p. 48. seq. &c. CHR. LÜDERVS in Differt. de *caussis Var. Lect. in N. T.* & J. A. OSIANDER in Differt. de *originibus Var. Lect. in N. T.*

§. XIX.

Quamvis itaque *Variantes* N. T. *Lectiones* varii sint generis, commode tamen in quatuor classes dividi possunt. Oriuntur enim vel ex *additamento* vel ex *defectu* vel ex *permutatione* vel ex *transpositione* vocum. *Additamentum* in *Lectionibus Variantibus* concernit vel *singulas voces*, ut Matth. 4, 10. post ὕπαγε Σατανᾶ quidam codices addunt ὀπίσω μυ; vel *integras sententias*: quod idem de *defectu* dicendum, qui est vel *singularum vocum*, vel *integrarum sententiarum*. *Permutatio* concernit vel *ipsum Textum*, & quidem partim quoad *singulas voces*, partim quoad *integras sententias*; vel *Distinctiones* & *Interpunctiones*: ut Matth. 5, 24. ὕπαγε, πρῶτον διαλλάγηθι, quidam codices distinguunt ὕπαγε πρῶτον, διαλλάγηθι. *Transpositio* itidem est vel *singularum vocum* vel *integrarum sententiarum*. Totius vero rei cardo in eo versatur, ut quis de *Lectionibus Var.* iudicium ferre Textusque lectionem genuinam a falsis distinguere sciat: quam in rem Critici quidam regulas sive canones tradiderunt, iuxta quos *Variantes* illæ *Lectiones* diiudicari possint, ut GLASSIVS in *Philologia S.* L. I. Tract. II. Membr. 3. MASTRICHT in *Prolegom. ad N. T.* P. III. PFAFFIVS

in

in Differt. de *Var. N. T. Lection.* c. 12. D. C. B. MICHAELIS l. c. §. 10. feq. RECHENBERGIVS in Differt. fupra cit. c. 3. WHITBY in Præfat. ad *Examen Var. Lect.* §. 7. J. D. MICHAELIS l. c. p. 58. feq. aliique. Eius rei fpecimina inter alios dederunt J. A. OSIANDER in Differt. I. & II. de *præcipuis Lectionibus Var. in Epiftolis Catholicis N. T.* S. R. BAVMGARTEN in *Examine Variantium Lectionum in Epiftola Jacobi*, & J. J. BREITINGER in Differt. de *Examine dubiæ in N. T. lectionis rite inftituendo, exemplo Matth.* 6, 13. *illuftrata*, in *Mufeo Helvetico* P. XVIII. Juxta eiusmodi canones lectio illa præferenda eft, quæ fanæ rationi magis congrua, codicibus plurimis iisque optimis, contextu fermonis, analogia fidei, allegatione & expofitione Patrum, antiquis N. T. Verfionibus, præfertim Syriaca, Verfione V. T. Græca, Textu V. T. Hebraico &c. confirmatur.

§. XX.

Variantes autem illas *Lectiones* in tot tamque varios cedere abufus, omnino dolendum eft: qua de re J. W. BAIERVS in Differt. de *Var. Lect. N. T. ufu & abufu* pluribus tractat. Maximus illarum abufus eft, quando Textus N. T. corruptionem exinde elicere volunt: cuius rei partim Critici noftri, partim Pontificii aliique veritatis hoftes accufandi funt. Critici quidem *Variis* N. T. *Lectionibus* ita abutuntur, ut fæpius loca Textus S. emendare audeant, veluti ab amanuenfibus aut alia quacunque ratione corrupta. Pontificii integritatem S. S. dubiam effe, vel Verfionem *Vulgatam* Textui Græco præferendam effe, exinde inferunt,

ferunt, conf. GLASSIUS l. c. Sociniani exceptiones præfertim proferunt contra dicta, quibus divinitas Christi probari solet, ut contra Rom. 9, 5. 1 Joh. 5, 7. &c. conf. Doctiss. J. S. SEMLERI *Vindiciæ plurium Lectionum Codicis Græci N. T. adversus Guil. Whiston.* Empæctæ S. S. θεοπνευστίαν exinde impugnant. Equidem Textum S. in aliquot exemplaribus alicubi corruptum esse, negari nequit, ut PFAFFIUS l. c. c. 8. seq. pluribus ostendit. Universos vero codices corruptos esse, hoc est, quod negamus, idque ob rationes prægnantes sequentes: I) propter divinam providentiam, quæ eiusmodi corruptionem S. S. universalem nequaquam concessura erat; cum iuxta dictum Christi Matth. 5, 18. ne unum quidem *Jota Legis*, adeoque nec Evangelii, periturum sit. II) Propter N. T. finem: siquidem Deus non solum Vetus, sed etiam, idque multo magis, Novum Testamentum principium, fundamentum & regulam fidei ac vitæ nostræ esse voluit. Quod si vero Textus N. T. sacer corruptus esset, tunc Deus scopo illo omnino excideret. III) Propter ecclesiæ Christianæ diligentiam & fidelitatem. Sicut enim ecclesia Judaica scripta V. T. Hebr. omni studio atque fide custodivit: ita & ecclesia Christiana, quam Paulus ideo *columnam* & *firmamentum veritatis* vocat 1 Tim. 3, 15. scripta N. T. sollicite conservare studuit; nec quis universam ecclesiam corruptionis eiusmodi, studio factæ, iure accusaverit. Conf. PFEIFFERI *Critica S.* c. 4. sect. 2. quæst. 6. BUDDEI *Isagoge* p. 1499. seq. BAMBAMII *Apparatus S.* p. 12. seq. CALOVII *Criticus S.* p. 469. seq. WEIDNERI Dissert. de *fide &*

authen-

authentia librorum N. T. SENNERTI Differt. de *Codicum apographorum mendis & certitudine ac authentia S. S.* &c.

§. XXI.

Porro circa *Textum* N. T. Græc. conſiderandæ veniunt variæ eius *Partitiones* & *Diſtinctiones*. Novum Teſtamentum æque ac Vetus in libros *Hiſtoricos*, *Dogmaticos* & *Propheticos* dividi, neminem fugit: de qua tamen *diviſione* nobis ſermo non eſt; ſed de variis ſingulorum librorum *Partitionibus* & *Diſtinctionibus* ſpecialioribus. Scripta N. T. ab initio non fuiſſe diſtincta in *Capita* & *Verſiculos*, ut hodie exſtant, apud omnes in confeſſo eſt. Sacros tamen N. T. ſcriptores ne minima quidem *Diſtinctione* uſos, univerſum Textum S. continua ſcripſiſſe ſerie, multis fere incredibile videtur. Jam ante Chriſtum natum quasdam *Diſtinctiones* & *Interpunctiones* uſu obtinuiſſe, obſervavimus Sect. X. §. 2. Veteres præterea diverſa periodorum membra per lineas exarare ſolebant, quæ στίχοι vocabantur: prout JOSEPHUS *Antiquit. Jud.* L. XX. c. 9. ſe ſuam hanc hiſtoriam viginti quatuor libris & ſexagies mille στίχοις conſignaſſe, teſtatur. Vacuum quoque ſpatium, novum quoddam argumentum inter ſcribendum aggreſſi, relinquebant. Exinde G. F. ROGALL in Diſſert. de *authoritate & antiquitate Interpunctionis in N. T.* admodum probabiliter colligit, etiam ſacros N. T. ſcriptores quasdam in ſcribendo adhibuiſſe *Diſtinctiones*, quod CROJUS quoque in *Obſervat. S.* c. 2. aſſerit, & cuius adeo rei veſtigia quædam in vetuſtiſſimis N. T. Codicibus mſcr. conſpiciuntur. Alii

R 2 tamen

tamen id omnino negant. Quicquid ſit, *Partitiones* illæ Textus S. quas hodie habemus, ab initio non fuerunt, ſed ſequioribus demum temporibus inventæ & introductæ ſunt, partim ad imitationem Judæorum, qui Textum V. T. in *Paraſchas* & *Haphtaras* diviſerunt, partim commoditatis gratia, ne opus eſſet, in evolvendo hoc vel illo loco integrum ſemper perlegere librum.

§. XXII.

Sunt autem *Partitiones* illæ diverſi generis. Nam I) ſeculo a Chriſto nato tertio AMMONIUS, cognomine SACAS, Philoſophus Alexandrinus, in *Harmonia* ſua ſive *Concordia Evangelica* quatuor Evangelia diviſit in κεφάλαια ſive *Sectiones minores*, ad marginem numeris Græcis annotatas, uti HIERONYMUS, EUSEBIUS aliique teſtantur & in codicibus antiquis mſcr. videre eſt: iuxta quam *partitionem* in Matthæo 355, in Marco 235, in Luca 342, in Johanne 232 κεφάλαια continentur. Quamvis iam ſeculo ſecundo TATIANUS eadem Evangelia in κεφάλαια diſtinxerit, iisque ſingulis brevia *Lemmata*, argumentorum indices, ſubiecit, quæ exhibentur in PRITII *Introduct. in N. T.* c. 25. Sed illa non tam *Partitiones* Textus Græci erant, quam potius *Harmoniæ* cuidam *Evangelicæ* conſcribendæ inſerviebant. Conf. JOH. MILLII *Prolegom. in N. T.* ſect. 354. ſeq. II) EUSEBIUS quatuor Evangelia in decem *Tabulas* ſive *Claſſes* & *Canones* diviſit, cuius *partitionis* ſpecimen exhibet J. H. MAJUS in *Examine Rich. Simonis Hiſtoriæ Crit. N. T.* p. 493. III) Anonymus quidam, quem MILLIUS THEO-

DO-

DORUM *Mopsvestanum* fuisse putat, Epistolas Paulinas partitus est in *Titulos* sive *Sectiones maiores*, iisque singulis Ἔκθεσιν quandam sive *Argumentum* subiunxit: iuxta quam *partitionem* Epistola ad Romanos 19, prior Epistola ad Corinthios 9, posterior 11 *Titulos* sive *Sectiones* complectitur, & sic porro. IV) Seculo quinto EUTHALIUS, Diaconus Alexandrinus, easdem Epistolas Pauli divisit in Ἀναγνώσματα sive Ἀναγνώσεις, h. e. *Lectiones*, *Titulis* modo dictis multo prolixiores, ita ut e. g. Epistola ad Romanos 5, totidemque prior ad Corinthios, & posterior 4 *Lectiones* contineret, &c. EUTHALII exemplum secutus ANDREAS, Episcopus Cæsariensis in Cappadocia, Apocalypsin distinxit in 24 Ἀναγνώσματα, iuxta numerum 24 Seniorum, Apoc. 4, 4. 10. &c. memoratorum, & in 72 *Titulos*, iuxta numerum partium Seniorum illorum, corporis nempe, animæ & spiritus singulorum, (numerus enim 24 triplicatus facit 72,) ut ille rem sibi imaginabatur, conf. CROII *Observat. S.* c. 4. Hinc procul dubio exortus est mos, *Evangelia* & *Epistolas dominicales* vocandi *Lectiones*. V) Idem EUTHALIUS primus Epistolas Paulinas divisit in στίχους sive *Versus*, describendo eas στιχηρῶς, q. d. *versiculatim* vel *lineatim*, ita ut Epistola ad Romanos complecteretur στίχους 920, prior ad Corinthios 870, posterior 590. &c. quod idem posthæc in reliquis quoque N. T. libris factum est; nec tamen ante seculum septimum, ut ex NICEPHORO constat. Qua in re vero codices antiqui multum differunt: quia librarii inter describendum apographa priora non semper accurate secuti sunt. Denique VI) idem EUTHALIUS,

instinctu ATHANASII, reliquas Epistolas Catholicas & Acta Apostolorum partitus est in στίχους, κεφάλαια & ἀναγνώσεις simul, ita ut e. g. Acta Apost. 2556 στίχους sive *Versus*, 40 κεφάλαια sive *Capitula* & 16 ἀναγνώσεις sive *Lectiones* comprehenderent.

§. XXIII.

Omnes vero illae N. T. *Partitiones* antiquiores in desuetudinem venerunt: quarum loco in ecclesia occidentali plane alia Divisio in *Capita* & *Versus* introducta est. Ad Divisionem in *Capita* quod attinet, ut hodie habetur, de eius auctore inter Criticos non convenit. CROJUS l. c. c. 7. non novam esse, sed a primis Patribus iam inventam, putat; quod tamen TENZELIUS de *ritu sacrarum lectionum* §. 43. seq. & RUMPÆUS in *Commentat. Crit. ad N. T.* p. 147. 148. refellunt. HEIDEGGERO in *Enchiridio Bibl.* L. III. c. 1. §. 7. neque adeo antiqua, neque etiam plane nova videtur. Alii eam ARLOTTO, Italo & Ordinis *Minoritarum* Generali, qui sub finem seculi decimi tertii vixit; alii vero STEPHANO LANGTHONI, Cardinali & Archiepiscopo quondam Cantabrigiensi, tribuunt. Plurimi tamen acceptam eandem referunt HUGONI *de* S. CARO, Cardinali Hispano, qui eodem seculo floruit. HUGO ille primas *Concordantias* Biblicas ad Versionem Latinam *Vulgatam*, opera quingentorum monachorum usus, composuit. Cum itaque *Concordantias* illas fore inutiles, nisi Versio *Vulgata* in *Capita* distingueretur, bene perspiceret, ad Distinctionem illam excogitandam sic motus esse dicitur. Quicunque ergo *Concordantiis* eius uti cupiebant, etiam Distinctionem illam sequi cogebantur: quo factum est, ut successu temporis

poris

poris invalesceret, & in alias quoque Versiones, immo in ipsum Textum N. T. Græcum reciperetur. Ne vero ad evolvenda loca Biblica opus esset integra *Capita* perlegere, HUGO singulis *Capitibus* ad marginem septem priores Alphabeti litteras, *A, B, C, D, E, F, G*, certa quadam distantia, pro *Capitum* singulorum quantitate, apposuit easque in *Concordantiis* ubique allegavit.

§. XXIV.

Seculo decimo quinto Judæus vixit, nomine R. MORDECHAI NATHAN, qui frequentes cum Christianis disputationes habuit. Ille ubi Christianos ope *Concordantiarum* singula dicta Biblica statim invenire posse vidit, ad eorum exemplum & ipse *Concordantias* V. T. Hebr. elaborare instituit. Quem in finem Textum V. T. similiter in *Capita* divisit: quæ Distinctio ex illo tempore semper asservata est. Loco vero Distinctionis *Capitum* iuxta septem Alphabeti litteras, *Capita* ille in *Versus* divisit, qui quidem per *Soph Pasuk* iam notati, sed nondum numerati erant. Quinis itaque *Versibus* numerum ad marginem adiecit, e.g. *Versui* quinto ה, decimo י, decimo quinto טו, vigesimo כ &c. qua ratione etiam *Versus* intermedii reperiri facile poterant. Quæ *Versuum* quinorum per numeros Hebraicos notatio hodienum in Bibliis Hebraicis observari solet. Id ipsum vero ROB. STEPHANUM, *Concordantias* N. T. Græci compositurum, ad Textum quoque N. T. in *Versus* distinguendum movit: quam Divisionem ille in itinere, Lutetia proficiscens Lugdunum, confecit, ceu eius filius HENR. STEPHANUS in Præfat. ad *Concordantias N. T.* refert. Illa *Capitum* in *Versus* Distinctio deinde adeo commoda visa est, ut ubique reciperetur, & hodienum

asservetur. Utut autem Divisio Textus N. T. in *Capita* & *Versus* commodissima habeatur; a multis tamen ideo saltem improbatur, quia saepius verborum contextum alieno loco divellit & contra verba separanda coniungit: qua de re pluribus tractant RUD. WETSTENIUS in Dissert. de *Distinctionibus N. T.* C. F. SINNERUS in Dissert. de *Distinctionibus Textus N. T.* BALTH. STOLBERGIUS in Dissert. de *Distinctione cumprimis N. T. Graeci in Capita, Versus, Commata & Cola*, JOACH. KLEPPERBEIN in Dissert. de *Distinctione N. T. in Capita & Versiculos*, &c. Unde nec in explicando N. T. scrupulose illi inhaerendum est.

§. XXV.

Est denique alia *Textus* N. T. Distinctio in membra minutiora, per *Puncta* scil. per *Cola*, *Commata* &c. *Interpunctiones* vulgo vocant; nec non Distinctio singularum vocum per *Accentus* & *Spiritus*. De origine & antiquitate *Accentuum & Spirituum* Sect. II. §. 22. 23. & 34. *Interpunctionum* vero Sect. X. c. 1. actum est simulque demonstratum, illos iam ante Christum natum obtinuisse. Hic vero quaestio movetur: utrum Textus N. T. Graecus originaliter cum *Interpunctionibus, Accentibus* ac *Spiritibus* scriptus? an vero sequioribus demum temporibus signa illa adiecta sint? Quam circa rem Philologi atque Critici in tres potissimum sententias abeunt. Quidam notas illas recentiori demum aetate Textui Graeco additas esse statuunt, ut STOLBERGIUS l. c. J. E. GRABIUS in Prolegom. ad *Octateuchum* LXX *Interpretum* c. 1. RECHENBERGIUS in Dissert. de *Var. Lect. N. T.* c. 1. §. 8. seq. FABRICIUS in *Biblioth. Graec.* Vol. III. p. 221. J. H. MICHAELIS in Dissert. de *Textu N. T. Graec.* §. 30. J. H. *ab* ELS-

WICH

WICH in Differt. de *recentiorum in N. T. Critica* §. 7. B. G. STRUVIUS in *Collectaneis Manuscriptorum* Fasc. I. p. 19. AUG. GRISCHOVIUS in *Introduct. in Philologiam* p. 145. seq. JOH. CLERICUS in *Arte Critica* passim, (qui *Interpunctiones* illas HIERONYMO tribuit,) S. R. C. G. HOFFMANNUS in *Additam.* ad PRITII *Introduct. in N. T.* c. 27. & 28. Celeb. J. D. MICHAELIS in *Introduct. in libros N. T.* p. 163. seq. aliique. Illorum argumenta hæc sunt: I) *Accentus* ante annos 900 vel ad summum 1100 demum inventi sunt. II) In vetustissimo N. T. Codice mscr. *Alexandrino*, qui tamen, saltem ex parte, ex Autographis Apostolorum & Evangelistarum descriptus videtur, nec *Interpunctiones*, nec *Accentus* ac *Spiritus* comparent. III) Patres sæpius loca ex N. T. aliter plane ac nunc interpuncta, allegant: unde colligitur, eos non habuisse codices signis *Interpunctionum* distinctos, e. g. χωραζιν Matth. 11, 21. ORIGENES in *Philocalia* c. 27, 21. veluti duas voces citat, χώρα Ζιν, &c.

§. XXVI.

Alii contra pro *Interpunctionum*, *Accentuum* & *Spirituum* Textus N. T. Græci authentia pugnant, ut RICH. SIMON in *Histor. Crit. N. T.* p. 417. J. H. MAJUS in *Examine* huius *Historiæ Crit.* p. 478. seq. PRITIUS in *Introduct. in N. T.* c. 27. §. 5. LEUSDENIUS in *Philologo Hebræo-Græco* Differt. IV. PFAFFIUS in *Notis ad Matthæum* p. 58. BAILIUS in libello de *Accentibus Græc.* J. C. KLEMMIUS in *Exercitat. Critic.* P. II. p. 27. G. F. ROGALL in Differt. de *auctoritate & antiquitate Interpunctionis in N. T.* CHRIST. SONTAGIUS in Corollar. ad Differt. de *regulis Calogerorum Basilianorum*, &c. Quorum argumenta sunt sequentia:

tia: I) *Interpunctiones* & *Accentus* eum in finem inventi sunt, ut orationem reddant perspicuam omnibusque amphiboliis medeantur; Apostoli autem & Evangelistæ Verbum Dei nobis clarum atque evidens relinquere voluerunt, ut eius certitudine salutem nostram firmiter fundare possemus: vero itaque simile minime est, illos *Interpunctionibus*, *Accentibus* & *Spiritibus*, iam tum temporis usu receptis, uti noluisse; cum alioquin Textus N. T. Græcus in diversos sensus detorqueri queat, (cuius rei exempla sunt Luc. 23, 43. Rom. 9, 5. Marc. 11, 13. &c.) multæ insuper voces distingui non possint, e. g. ὄρος *mons*, ab ὅρος *terminus* &c. II) Quamvis librarii signa illa neglexerint, modum scribendi, ante illorum inventionem usitatum, forsitan secuti; exinde tamen non sequitur, eadem etiam absfuisse ab autographis. III) Multi tamen codices mscr. satis antiqui, signis illis interpuncti, exstant. Et quæ plura sunt argumenta, a RUMPÆO in *Commentat. Crit. ad. N. T.* p. 171. seq. adducta, quibus ROGALL l. c. alia nonnulla adiecit; quæ tamen singula C. G. HOFFMANNUS l. c. haud parum infregit. Sunt denique, qui distinguunt inter *Interpunctiones maiores*, ut sunt *Puncta*, *Cola* & *Commata*; & *minores*, quales sunt *Parentheses*, figura *interrogandi* & *exclamandi*, quarum illas quidem scriptores sacri adhibuerint, non vero has: quæ sententia est AUG. PFEIFFERI in *Thesauro Hermeneut.* p. 381. Alii in re tam obscura nihil certi definiunt. Ut libere mentem nostram aperiamus, argumenta illorum, qui authentiam signorum illorum negant, omnino prævalent argumentis contra sentientium. Conf. H. STE-

PHANI

PHANI Differt. de *ftylo*, *lectionibus & Interpunctionibus N. T.* & A. BISCHOFFII Diff. de *Interpunctionibus N. T.*

§. XXVII.

Reftat, ut varias *methodos* atque *fubfidia* illa, quibus interpretes in exponendo *Textu* N. T. Græco utuntur, recenfeamus. Sunt I) qui N. T. ex fcriptis *Talmudicis* ac *Rabbinicis* illuftrant, ut JOH. DRUSIUS in libris X *Præteritorum in N. T.* JAC. CAPPELLUS in *Obfervat. in N. T.* JOH. LIGTFOOT & CHR. SCHOETGENIUS in *Horis Hebraicis & Talmudicis*, J. G. MEUSCHENIUS in *N. T. ex Talmude & Antiquitatibus Hebr. illuftrato*, &c. conf. J. H. HOTTINGERI Differt. de *ufu fcriptorum Hebraicorum in N. T.* II) Quidam Textui N. T. ex *Verfione Græca* LXX *Interpretum* & libris V. T. *Apocryphis* lucem affundere volunt: qua de re conf. J. H. MICHAELIS Differt. de *ufu* LXX *Interpretum in N. T.* & in Differt. de *ufu librorum Apocryphorum V. T. in N. T.* Quam caute vero hic agendum fit, docet Celeb. WOLLIUS in Differt. de *Parallelismo N. T. cum* LXX *caute inftituendo.* III) Multi in exponendo N. T. ad *Antiquitates*, tam Judaicas, quam profanas, recurrunt, ut J. H. MAJUS (fil.) & J. G. LACKEMACHER in *Obfervationibus* fuis, P. ZORNIUS in *Bibliotheca Antiquaria*, & fub nomine THEOPHILI AMELII, in Erörterung der dunckelften und fchwereften Schriftftellen im N. Teft. S. F. BUCHERUS in *Antiquitatibus Biblicis ex N. T.* PETRUS FABER & JAC. LYDIUS in *Agoniflicis*, LINTRUPIUS in Speciminibus *Meletematum ad felectiora N. T. loca ex Antiquitatibus exoticis illuftranda*, J. F. GUHLINGIUS in *Locutionibus*

S. ex

S. ex palæstra Græcorum veterum repetitis, GATAKERUS in *Adversariis S.* HAMMONDUS & PRICÆUS in *Annotat. ad N. T.* J. SCHOEPFERUS in Dissert. de *Locutionibus Pauli Gymnicis*, BYNÆUS de *morte & passione J. C.* Celeb. BRÜNINGS in *Compendio Antiquitatum Græcarum e profanis sacrarum* &c. Quo etiam LIGTFOOTI, SCHOETGENII & MEUSCHENII labores, modo laudati, ex parte pertinent. Nimium vero eius fieri quoque posse, ostenderunt C. G. HOFFMANNUS in Dissert. de *Antiquitatibus in S. Codice frustra quæsitis*, & Cl. J. C. STRODTMANN in Dissert. de *eo, quod nimium & parum est circa Antiquitatum profanarum applicationem ad S. Codicem.*

§. XXVIII.

Plurimi IV) in illustratione Textus N. T. eiusque phrasium usi sunt scriptoribus *profanis:* iisque vel *universis*, ut GROTIUS, BEZA, ERASM. SCHMIDIUS, JOACH. CAMERARIUS, HEINSIUS, FESSELIUS, CRAUSERUS, JAC. WELLERUS, LAMBERTUS BOS, JAC. ELSNERUS, JOH. ALBERTI, C. H. LANGIUS, J. F. HOMBERGK, S. V. JOH. GEORG. WALCHIUS, KNACHTBUL, DOUGTÆUS, J. S. MOERLINUS, aliique *Observationum, Annotationum* &c. in N. T. editores, laudati a MICH. LILIENTHALIO in *Archivario Bibl. N. T.* p. 1. seq. Vel hoc aut illo auctore *in specie*, ut TOB. ECKARDUS in *Observationibus ex Aristophanis Pluto*, G. W. KIRCHMEIERUS in *Parallelismo N. T. & Polybii*, & in *Defensione N. T. Græci Polybiano maxime stylo exarati*, G. RAPHELIUS in *Annotat. in N. T. ex Xenophonte*, it. *ex Polybio & Arriano*, it.

ex

ex Herodoto, J. H. *a* SEELEN in *Annot. in N. T. ex Plutarcho*, it. *ex Hesiodo*, HENR. SCHOLZIUS in *Johanneis ex Theocriti Idylliis collectis*, C. H. LANGIUS in *Specimine Observationum in N. T. ex Luciano & Dionysio Halicarnasseo*, &c. Conf. hanc in rem DILHERRI Differt. de *usu lectionis scriptorum secularium & antiquitatis*, FECHTII Differt. de *stylo N. T. eiusdemque cum profanis scriptoribus conferendi studio*, RAPHELII *Annotationibus ex Xenophonte* præfixa. Quanta cautione vero opus hic sit, docent RAMBACHIUS in *Hermeneut. S.* p. 577. seq. Celeb. WOLLIUS in pec. *Dissertatione*, quæ XXX regulas hanc in rem exhibet, MART. FRISIUS in Differt. de *usu & abusu Græcorum imprimis scriptorum in illustrando N. T.* & Illustris MOSHEMIUS in Differt. de *eo, quod iustum est circa litterarum sacrarum ex priscis auctoribus interpretationem*, eius *Observationibus S.* præmissa, cui contradixit CLEFFELIUS in Diff. de *interpretatione N. T. ex scriptoribus profanis*. Conf. & Doctiss. J. C. STEMLERI Diss. de *Criticæ profanæ in sacris abusu* c. 4. An etiam scriptores *Latinos* profanos huc adhibere liceat? disputatur in *Miscellan. Lips.* T. XI. p. 290. seq.

§. XXIX.

Quidam V) N. T. Græcum ex *Patribus* illustrare tentarunt, ut ALBERTUS *zum* FELDE in *Observat. S. ex Patribus Apostolicis*, J. C. SUICERUS in *Thesauro Ecclesiastico*, &c. conf. SIG. BASCHII Differt. de *interpretatione N. T. ex Patribus Apostolicis*. Fuerunt & VI) qui interpretando Textui N. T. alias scientias applicarunt, ut vel *Jurisprudentiam*, quo pertinet G. W. KIRCHMEIERI Differt.

Differt. de *Pauli Jurisprudentia, sigillatim locum sacrum Justificationis illustrante*; vel *Oratoriam* & *Rhetoricam*, quod fecit JOACH. CAMERARIUS in *Notationibus Figurarum sermonis N. T.* vel *Philosophiam* eiusque *Historiam*, qua de re conf. BRUCKERI Differt. de *comparatione Philosophiæ gentilis cum S. S.* PAULI ANTONII Differt. de *quibusdam N. T. Philosophismis*, D. WALCHII Differt. de *Interpretatione N. T. ex Historia Philosophica*, J. G. SCHULZII geminum Programma de *Historia Philosoph. N. T. explicando perperam adhibita*, J. H. ab ELSWICH Diss. de *Philosophumenis Viris sanctis temere affictis*, &c. inspecie *Physicam* & *Medicinam*, ut JOH. *de* MEY in *Commentariis Physicis*, WEDELIUS in *Exercitationibus Medico-Philolog.* VOGLERUS de *rebus naturalibus & medicis in S. S.* cum *Physiologia Passionis J. C.* THOM. BARTHOLINUS de *morbis Biblicis*, de *paralyticis N. T.* &c. RICH. MEAD in *Medicis S.* CONR. JOHRENIUS de *morbis Bibl. N. T.* J. J. BAJERUS in *Animadvers. Physico-Medic. in quædam loca N. T.* &c. VII) Illustrationis N. T. ex *nummis* antiquis specimen dedit G. E. ZEIBICHIUS in *Observationibus S. ex nummis antiquis.* His denique VIII) addi potest illustratio vocum N. T. Græci ex ipsarum *Formis* & *terminationibus*, qua *Onomasticon* nostrum *Græcum* occupabitur.



SECTIO

SECTIO XII.

DE
VERSIONIBUS V. T.
GRÆCIS.

SECTIO XII.

DE VERSIONIBUS V. T. GRÆCIS.

CAPUT I.

DE VERSIONE V. T. GRÆCA LXX INTERPRETUM.

§. I.

Ne quid huic opuſculo noſtro deſit, quod linguæ Græcæ ſtudioſis ſcitu ſit neceſſarium, coronidis loco quædam de *Verſionibus V. T. Græcis* in medium proferemus. Quarum præcipua cum ſit, quæ vulgo LXX *Interpretum* dici ſolet, primo loco de eius *appellatione*, *origine*, *ſtylo*, *nævis*, *auctoritate* atque *uſu* agemus. Appellationem verſionis τῶν ἑβδομήκοντα RELANDUS in *Antiquitat. S. Vet. Hebræorum* P. I. c. 10. §. 9. & LAMB. BOS in *Prolegom.* ad ſuam *Verſionis* illius editionem c. 1. a cenſura & approbatione arceſſunt Synedrii, quod Alexandriæ æque ac Hieroſolymis LXXvirale religioni & ſacris præſederit. Vulgo tamen illud nominis ad peruetuſtam de LXXII vel, numero rotundo,

S LXX

LXX eius auctoribus traditionem refertur. Cuius summa, ut ab ARISTEA in Epist. ad fratrem Philocratem apud JOSEPHUM exhibetur, huc redit: Rex Aegypti, PTOLEMÆUS *Philadelphus*, audito ex bibliothecæ suæ præfecto, DEMETRIO *Phalereo*, Judæorum Legem dignam omnino esse, quæ describatur atque in bibliotheca illa regia recondatur, & suadente ARISTEA illo, regio ministro, omnibus Judæis, a patre, PTOLEMÆO *Lagi*, in captivitatem abductis, numero plusquam centies mille, libertate donatis, ad Pontificem M. Judæorum ELEAZARUM Hierosolymas legatos mittit ANDREAM, prætoriæ cohortis præfectum, & ARISTEAM nostrum, splendidis muneribus & litteris regiis instructos, quibus & Legis exemplar & sex ex singulis Judæorum tribubus interpretes, viros pios, legum sacrarum & Hebraice Græceque apprime peritos, petiit. Annuit ELEAZARUS & una cum epistola responsoria atque membranis, quæ Legem aureis descriptam litteris comprehendebat, septuaginta duos Seniores mittit, qui a Rege humanissime excepti, ad insulam Pharum deducuntur & in splendida domo locati, quotidie ad nonam usque horam interpretationi Legis vacant, DEMETRIO *Phalereo* scribæ munere fungente. Elapso 72 dierum spatio Versionem absolvunt: quæ publice prælecta omnibus probatur, Rege Legislatoris sapientiam summopere admirante & interpretes illos cum amplissimis dimittente muneribus. Plures circumstantias, & ab ARISTEA intersperſas, & a sequioris ætatis scriptoribus, PHILONE de *Vita Mosis* L. II. JOSEPHO *Antiquit. Jud.* L. XII. c. 2. JUSTINO *Martyre* in *Admonitione ad Græcos*, CY-

RILLO

RILLO *Hierosolymitano*, IRENÆO, CLEMENTE *Alexandrino*, EPIPHANIO &c. assutas, studio prætermittimus.

§. II.

Utut autem traditio illa magnam & antiquitatis & veritatis præ se ferat speciem, iam dudum tamen plurimi eius γνησιότητα in dubium vocarunt, ut JOS. SCALIGER, ANDR. RIVETUS, HENR. VALESIUS, RICH. SIMON, DU PIN, J. A. FABRICIUS, J. F. BUDDEUS, J. C. WOLFFIVS &c. HVMPHREDVS HODY vero in Dissertat. *contra Historiam Aristeæ* & fusius in libris IV de *Bibliorum Textibus origin. Versionibus Græcis & Latina Vulgata*, & ANTONIVS *van* DALE in Dissert. *super Aristea de* LXX *Interpretibus*, gravissimis argumentis refellerunt, in compendio exhibitis a CARPZOVIO in *Critica S. V. T.* P. II. c. 2. §. 3. quorum sententiæ eruditi certatim fere suffragantur; quicquid WALTONVS in *Prolegom.* IX. *ad Bibl. Polygl.* §. 4. ISAACVS VOSSIVS de LXX *Interpretibus* c. 4. & in *Append.* ad *Pompon. Melam* p. 58. seq. NIC. NOVRRIVS in *Apparatu ad Biblioth. Patrum Maxim.* T. I. Diss. XI. p. 225. seq. WILH. WHISTON in Append. ad *Complementum litterale vaticiniorum S. S.* (Anglice editum,) aliique contra excipiant. Nec maiorem fidem meretur alia traditio Judæorum in Talmude Hierosolym. Tract. *Sopherim* c. 1. §. 7. quinque tantum fuisse Seniores, qui Legem PTOLEMÆO Græce transcripserint. Verosimillimum est, *Versionem* illam neque iussu PTOLEMÆI Regis, neque a LXX viris, neque integram eodem tempore, ne-

que ſtudio communi; ſed a Judæis aliquot Alexandrinis ſtudio privato & diverſo, in diverſis V. T. libris diverſoque tempore, in gratiam Hebraicæ linguæ rudium fuiſſe adornatam. Certe ipſa ARISTEÆ relatio ſolius *Legis* ſive *Pentateuchi Verſionem* commemorat; reliquorum vero librorum V. T. Verſiones Græcæ & ab illa & a ſe invicem ſtylo, phraſi & interpretandi ratione toto cœlo differunt. Quæ una cum aliis HUMPHR. HODY l. c. LAMB. BOS in *Prolegomenis* ad editionem LXX *Interpretum* c. 1. & ex illis CARPZOVIUS l. c. §. 3. pluribus perſequuntur.

§. III.

Codex, ex quo Verſionem ſuam tranſcripſerunt LXX Interpretes, fuit *Hebraicus*, isque *non punctatus*. *Chaldaica* Verſione uſos illos eſſe, poſt PHILONEM ſentiunt R. ASARIA in *Meor Enaiim* P. II. c. 5. aliique quidam Judæi apud R. GEDALIAM in *Schalſcheleth Hakkabbala:* cuius aſſerti falſitas vel exinde elucet, quod Verſiones *Chaldaicæ* multo ſint recentiores. Neque etiam ex Pentateucho *Samaritano* Verſio illa Græca facta eſt, uti volunt POSTELLUS in *Linguarum Tabula* II. LUD. *de* DIEU ad Matth. 19, 5. JOH. SELDENUS de *mari clauſo* p. 37. & WILH. WHISTON in *Tentamine reſtaurandi genuinum Textum V. T.* (Anglice edit. an. 1722.) Propoſ. III. p. 48. & Propoſ. V. p. 149. LXX enim Interpretes litterarum Hebr. ſimilitudine & ductibus affinibus ſæpiſſime deceptos, unam pro altera legiſſe indeque falſo tranſtuliſſe, αὐτοψία docet & HOTTINGERUS in *Theſauro Philolog.* p. 358. ſeq. plurimis exemplis oſtendit; qui tamen ipſe quoque POSTELLI, SEL-

SELDENI &c. ſententiæ iſti accedit p. 295. ſeq. Id vero indicio eſt manifeſtiſſimo, illos Verſionem ſuam concinnaſſe ex Textu *Hebr.* non *Samaritano.* Codice *non punctato* uſos fuiſſe, patet ex mendoſa, quam ſuppoſuerunt, punctatione & lectione, unde perverſus toties & alienus ſenſus prodiit: cuius rei exempla bene multa ſuppeditat idem HOTTINGERUS l. c. p. 354. ſeq.

§. IV.

Stylus LXX Interpretum ita ad Hebræi ſermonis genium attemperatus eſt, ut parem illi in nullo auctore profano reperias, proxime autem ad N. T. dictionem accedat. Hinc primus omnium DRUSIUS, vel ut alii volunt, JOS. SCALIGER phraſin Verſionis LXX Interpretum dixit *Helleniſticam*, conf. Sect. præced. §. 6. SIXTINUS AMAMA vero in *Antibarbaro Bibl. Hebræo-Græcam*, alii denique *Hebraizantem* dicere malunt, eo quod creberrimis ſcateat *Hebraismis*, ad *Hebraicam* non modo ſtructuram & Syntaxin, ſed ſæpe etiam ad notionem *Hebraicam* & apud alios Græcos inuſitatam ſignificationem inflexa. Nimis enim Textui *Hebr.* inhærentes Interpretes illi, ſæpius ſermoni Græco vim facere maluerunt, quam longius recedere a phraſi *Hebraica*. Factum hinc eſt, ut non modo vocabula nova ex Hebraicis efformarent, e. g. γείωρες ſive γειῶραι pro *advenis*, ab Hebr. גֵּר; ſed & pure Hebraica ſervarent: quod ea vel non intelligerent, vel Græcis commode reddere neſcirent. Conf. pluribus de *ſtylo* LXX *Interpretum* J. C. SCHWARZIUS in *notis* ad OLEARII Diſſert. *de ſtylo N. T.* p. 294. ſeq.

§. V.

Exinde vero Verſio illa plurimis laborare *nævis*, iam haud difficulter intelligitur, quos in certas claſſes diviſos pluribus recenſent HOTTINGERUS l. c. p. 354. ſeq. CALOVIUS in *Critico S.* §. 200. ſeq. J. E. GRABIUS in Diſſert. de *variis vitiis* LXX *Verſioni ante Origenis ævum illatis*, & CARPZOVIUS in *Critica S. V. T.* p. 513. ſeq. Sæpius enim Textui Hebr. contradicit, e. g. Gen. 8, 7. in numeris frequenter ab Hebraica veritate recedit: unde tanta Chronologiæ in utroque Textu diverſitas, quam collatam & deſcriptam dedit SPANHEMIUS in *Chronologia S.* P. II. c. 19. neque raro alienum a Textu Hebr. ſenſum intrudit, ut Gen. 3, 24. quas aberrationes quidem conciliare cumque Textu Hebr. componere aggreſſus eſt GERH. OUTHOVIUS in *Biblioth. Brem.* Claſſ. I. Faſc. 3. & Claſſ. II. Faſc. 4. conf. C. H. RITTMEIERI Progr. de *coniungenda & concilianda Græca LXX Interpretum Verſione cum fonte Hebraico.* Nonnunquam quædam plane omittit, maxime vero in libro Jobi & Jeremiæ: quæ pluribus perſequitur GRABIUS l. c. p. 7. ſeq. Contra quædam addit, quæ in Textu originali abſunt, ut Gen. 4, 8. c. 11, 12. 13. quædam falſo legit, litteris Hebr. figura affinibus, confuſis, Punctiſque alienis ſubſtratis, uti dictum §. præced. Nonnullas voces Hebr. in duas divellit, ut Gen. 4, 15. Nomina *Appellativa* in *Propria* convertit, ut Neh. 7, 70. vel vice verſa *Propria* in *Appellativa*, ut Lev. 18, 21. Ut alia taceamus: in quorum cauſas & fontes inquirunt HOTTINGERUS & GRABIUS l. c. & J. G. GERETUS in duabus Diſ-

ſerta-

ſertationibus de *cauſis diſcrepantiarum Verſionis* LXX*viralis a Textu originali.*

§. VI.

Tradunt præterea Talmudici in Tract. *Megilla* c. 1. Interpretes Græcos data opera tredecim loca corrupiſſe, recenſita ab HOTTINGERO l. c. p. 327. 328. ne vel PTOLEMÆO vel uxori eius offendiculo eſſet Scriptura: quam traditionem WALTONUS *Prolegom.* IX. §. 16. haud immerito inter fabulas Rabbinicas refert. JAC. GUSSETIUS in *Commentario ling. Hebr.* p. 823. aliam a LXX virali eaque priorem, a quinque ſcil. Senioribus confectam, Verſionem, quæ vero interciderit, a Talmudicis innui, exiſtimat. Verſionem V. T. Græcam, quam hodie habemus, eandem eſſe cum Verſione LXX Interpretum, dubitant quoque PAGNINUS in *Iſagoge ad ſacras litteras* c. 9. (cui CALOVIUS l. c. §. 202. reſpondit,) & DRUSIUS in *Obſervat. S.* L. VI. c. 9. Ex variis Verſionibus Græcis conſarcinatam atque interpolatam putat PFEIFFERUS in *Critica S.* Cap. XI. ſect. 2. quæſt. 5. Denique JAC. USSERIUS in Syntagmate de *Græca* LXX *Interpretum Verſione* magno eruditionis apparatu contendit, Verſionem Græcam, ſub PTOLEMÆO *Philadelpho* concinnatam, ſolum Pentateuchum complexam, incendio una cum bibliotheca regia periiſſe, cum Julius Cæſar Alexandriam expugnaret, eiusque loco aliam totius V. T. Verſionem poſt quartum PTOLEMÆI *Philometoris* annum a Judæo quodam adornatam, in nova bibliotheca, a CLEOPATRA in Serapeo inſtaurata, collocatam inque novum Oniæ templum

publica prælectione introductam, iussu autem HERODIS M. ab aliquot viris linguæ Hebr. gnaris recognitam fuisse ac emendatam. Cui se opposuerunt HENR. VALESIUS in peculiari *Epistola* ad USSERIUM, *Notis* ad EUSEBII *Histor. Eccles.* subiecta, WALTONUS l. c. §. 18. CARPZOVIUS l. c. p. 511. 512. & G. J. ENGELBACHIUS in Dissert. de *Versione Græca Pentateuchi* LXX *virali antiquiore.*

§. VII.

Ad *auctoritatem* Versionis LXX Interpretum quod attinet, ea apud Judæos pariter atque Christianos non una eademque esse solet. Judæi quidem, extra Palæstinam olim commorati, quibus Græca lingua fuit vernacula vel usu saltem cognita, miris illam extollebant laudibus & singulari Spiritus divini assistentia conflatam censebant. Hinc quoque in Synagogis suis & in templo Heliopolitano una cum Textu Hebr. publicis prælectionibus eam adhibebant. Secus sentiebant Judæi Palæstini & quotquot litterarum Græcarum expertes erant, cui Versio illa adeo exosa fuit, ut die mensis Tebeth octavo in tristem & inauspicatam eius rei memoriam ieiunium indixerint & observaverint: quod tamen ieiunium inter recentiorum Judæorum fabulas post HODIUM & MORINUM refert WOLFFIUS in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 443. Sacri scriptores N. T. ubi dicta V. T. allegant, ut plurimum Versione illa utuntur, frustra id negantibus LAMB. DANÆO in *Respons.* ad BELLARMINI *Disput. Theol.* L. II. c. 6. JOH. OWENO in *Theologûmen.* p. 401. Auctore *Dissertationis*, CAPPELLI *Criticæ S.* p. 489. seq. subiectæ, & SURENHUSIO in Βίβλῳ καταλ-

ταλλαγῆς p. 179. in quorum ſententiam etiam propendet G. KOHLREIFFIUS in *Biblioth. Lubec.* Vol. I. p. 23. Neque tamen ſemper & ubique, uti volunt SIXTUS SENENSIS, JOH. MORINUS, ISAACUS VOSSIUS aliique; cum & ſubinde Textum *Hebr.* ſequantur, prout collatio locorum parallelorum docet, vid. e. g. Matth. 2, 15. c. 8, 17. Joh. 19, 37. Rom. 9, 17. Eadem libertate Patres eccleſiæ primitivæ uſos, dicta V. T. nunc ex Verſione *Græca*, nunc ex fontibus *Hebraicis* citaſſe, pluribus oſtendit HUMPHR. HODY de *Bibliorum Textibus originalibus & Verſionibus* c. 3. ſeq. Sunt quoque ex Patribus, qui Verſioni LXX virali θεοπνευςίαν quandam tribuunt, quos Pontificii magno agmine ſequuntur. Utrorumque loca profert ſententiamque refellit GODOFR. WEGNERUS in Diſſert. *an Verſio* LXX *Interpretum ſit* θεόπνευςος? conf. & CHR. KORTHOLTUS de *variis Scripturæ editionibus* p. 55. ſeq. Idem placuit ISAACO VOSSSIO, qui diverſis in ſcriptis (k) θεοπνευςίαν Verſionis illius tuitus, eiusdem αὐθεντίαν Textui *Hebraico*, veluti a Judæis corrupto & interpolato, præferre nullus dubitavit. Conf. GERH. MEIE-

(k) Ut in Diſſertationibus de *Translatione* LXX *Interpretum* & in *Append.* paſſim, in lib. de *vera mundi ætate* c. 2. c. 4. & c. 6. in *Caſtigationibus ad Obiecta G. Hornii* & *Reſponſione ad Obiecta Chr. Schotani*, in *Append.* ad *Pompon. Melam*, in *Reſponſione ad Obiecta nuperæ Criticæ S.* & *ad iteratas Rich. Simonii Obiectiones, &c.*

MEIERI Differt. de *Verfione τῶν* LXX *contra Iſ. Voſſium.*

§. VIII.

Quamvis autem ad tantum auctoritatis ac dignitatis gradum minime evehenda fit Verfio LXX viralis, eandem tamen eximii plane effe *ufus*, negari nequit: quod pluribus demonftravit JOH. PEARSONIUS in *Præfat.* ad fuam *Verfionis* LXX *viralis* editionem. Eft autem *ufus* ille I) *Grammaticus*, in declarandis vocum Textus Hebr. difficiliorum vel ἅπαξ λεγομένων fignificatibus. II) *Elencticus*, ad vindicandam genuinam lectionem Hebraicam. III) *Exegeticus*, tum ad penitius cognofcendam N. T. phrafin: quod argumentum pluribus expofuit J. H. MICHAELIS in Differt. de *ufu* LXX *Interpretum in N. T.* conf. Sect. præced. §. 27. tum ad recte tractandos & intelligendos primitivæ ecclefiæ Patres. Neque tamen Verfionis illius *ufus* eo extendendus eft, ut Textus V. T. Hebraicus hinc inde ad illam emendandus fit ac reftaurandus, ut voluerunt LUD. CAPPELLUS in *Critica S.* c. 17. (cuius aufum repreffit BUXTORFFIUS in *Anticritica*,) & W. WHISTON in *Tentamine reftaurandi genuinum Textum V. T.* (cui pluribus fatisfecit CARPZOVIUS in *Critica S.* V. T. P. III.) re ipfa autem nuper aggreffus eft HOUBIGANT, monachus Gallus, in nova Bibliorum Hebr. editione, qua Textum V. T. Hebr. inter alia etiam iuxta Verfionem τῶν LXX corrigit, eoque perfeciffe fibi videtur, quæ LUD. CAPPELLUS inceperat. Mirari autem fubit, etiam LAMBERTUM BOS in *Prolegom.* ad editionem LXX *Interpretum* c. I. licitum effe putare, aliquando ex

ex Græca Verſione antiquam & veram reſtituere in Codice Hebr. ſcripturam; præſertim ſi fieri id poſſit punctuli aut litterulæ alicuius mutatione: cuius ſententiam examinavit DAV. BERNARDUS in Diſſert. de *locis quibusdam ſecundum* LXX *Interpretes in Codice Hebr. ex ſententia Lamberti Bos emendandis.* Plura de *Verſione* LXX *Interpretum* dabunt auctores, magno numero citati a PFEIFFERO in *Critica S.* cap. XI. §. 15. WOLFFIO in *Biblioth. Hebr.* Vol. II. p. 440. ſeq. & Vol. IV. p. 168. ſeq. RAMBACHIO in *Hermeneutica S.* p. 623. & CARPZOVIO l. c. p. 481. 482. quibus addendi ſunt THEOPH. GLASERUS in Orat. de *Translatione Legis divinæ ex Hebr. lingua in Græcam per* LXX *Interpretes facta*, JAC. MIDDENDORPIUS in *Hiſtoria Ariſteæ de S. S. per* LXX *Interpretes translatione cum Commentario*, &c.

CAPUT II.

DE RELIQUIS VERSIONIBUS V T. GRÆCIS.

§. IX.

Sunt & aliæ V. T. Verſiones *Græcæ*, AQUILÆ ſcilicet, THEODOTIONIS, SYMMACHI & tres incertorum auctorum, *quinta*, *ſexta* & *ſeptima* dictæ, e quibus ORIGENES Biblia ſua *Tetrapla*, *Hexapla* & *Octapla* confecit, quæque & ipſæ hoc loco commemorandæ ſunt: quia

& magnam cum Versione LXX virali cognationem habent, & frequenti apud veteres scriptores mentione celebrantur, & quæ suppetunt earum fragmenta, suo non penitus destituuntur usu. Fuit AQUILA, quem quidam Judæi æque ac Christiani perperam cum ONKELOSO, Paraphraste Chaldaico, confundunt, patria Sinopensis e Ponto, nobili stirpe ortus, HADRIANI Imperatoris socer vel potius soceri filius, ab illo restaurandis Hierosolymis præfectus: ubi cum Christianis conversatus, ad eorum religionem transiit. Sed cum superstitionibus Astrologiæ *Apotelesmaticæ*, cui totum sese dederat, nuncium mittere doctorumque Christianorum monitis locum dare nollet, ab ecclesia rursus eiectus est. Qua ignominia vehementer exacerbatus, Judæorum sacra amplexus & circumcisus, addiscendæ linguæ Hebr. magna virium contentione incubuit: cuius notitiam adeptus, ut ægre faceret Christianis, testimonia de Christo in alienum sensum flectendo, & ut Versioni LXX Interpretum detraheret, geminam V. T. Interpretationem Græcam adornasse fertur: quarum prior dicta est ἡ κατ' ἀκρίβειαν, quod in ea ita scrupulose Textui Hebr. inhæserit, ut non solum verba, sed & etymologias verborum transferre conatus sit; in altera vero liberiore sensum aptius reddere studuit. Prior illa Versio, apud Judæos imprimis, insignem nacta est auctoritatem: quod propius, quam Versio τῶν LXX, ad Textum Hebr. accedere videretur; ita ut alicubi etiam publice in Synagogis prælegeretur. Hodie saltem fragmenta quædam utriusque Versionis supersunt, hinc inde in Patrum scriptis dispersa.

§. X.

§. X.

THEODOTION, genere Ponticus, ab ineunte adolescentia avide ea hausit, quæ a TATIANO accipiebat dogmata, suamque industriam in honestis artibus addiscendis probavit omnibus. Postea vero relicto illo, Marcioni hæresiarchæ se adiunxit; sed offensus, tandem ad Judæos descivit: unde *Ebionita*, i. e. *semi-Judæus*, dictus est. Quamvis alii a Marcionitis ad Ebionitas tandemque ad Judæos eum transiisse credant. A Judæis linguæ Hebraicæ notitia imbutus, novam V.T. Versionem Græcam concinnavit: quod ante annum Christi 176 vel 177 factum esse, ex IRENÆO *contra Hæreses* intelligitur. Versio illa, quia ad LXX viralem proxime accedebat, ORIGENIS calculum adeo meruit, ut, ubi LXX deficerent, maxime in libris Josuæ, Judicum, Regum, Jobi, Jeremiæ & Ezechielis, ex THEODOTIONE eos suppleret. In Daniele insuper THEODOTIONIS Versionem totam surrogavit ecclesia, ubi eam hodienum habemus, Versione Danielis LXX virali interim paulatim deperdita. Sunt quoque, qui THEODOTIONEM auctorem Historiæ Susannæ & libri prioris Maccabæorum faciunt: qua de re aliisque circa THEODOTIONEM memorandis pluribus agit J. F. BUDDEUS in Differt. de *Theodotione*.

§. XI.

SYMMACHUS, gente ac religione Samaritanus, cum apud suos, quantum honoris optabat, non assequeretur, ad Judæos defecit & denuo circumcisus est. Alii tamen ex veteribus inter Ebionitas eum referunt. Vixit tempore SEVERI & Versionem V. T. Græcam condidit, quam a perspicui-

ſpicuitate commendarunt HIERONYMUS, EUSEBIUS, THEODORUS *Antiochenus* &c. unde ORIGENI digna viſa, quam *Hexaplis* ſuis inferret, & ſæpius a priſcæ eccleſiæ doctoribus conſulta eſt, maxime ubi de ſenſu loci, a LXX vel AQUILA obſcurius redditi, ancipites hærerent. Dum autem omnia Textus V. T. Hebraici, etiam difficillima, clare reddere ſtuduit, nonnunquam a Textu originali longius abiiſſe arguitur. Ad AQUILÆ exemplum SYMMACHUM quoque duplicem Interpretationis ſuæ editionem curaſſe, ex eo patet, quod ORIGENES & HIERONYMUS *primæ* & *ſecundæ* diſertam faciant mentionem; qua de re tamen alii dubitant. Plura de AQUILÆ, THEODOTIONIS & SYMMACHI *Verſionibus* dabunt auctores, a CARPZOVIO in *Critica S. V. T.* p. 552. laudati.

§. XII.

Minoris momenti ſunt reliquæ Verſiones tres, ab ORIGENE operi ſuo *Biblico Harmonico* infertæ, quarum auctores latent. Quæ *quintæ* nomine vulgo venit, eam EPIPHANIUS de *ponderibus & menſuris* c. 17. Hierichunte ſub Imperatore CARACALLA in dolio repertam tradit; quod tamen potius de *ſexta* intelligendum: quia HIERONYMUS in Præfat. ad ORIGENIS *Homilias in Canticum Canticorum* ait, ipſum ſcribere ORIGENEM, ſe *quintam* in Actæo littore reperiſſe. Utraque non tam translatio fuit, quam Paraphraſis quædam, ſolos Prophetas Minores, Pſalmos & Canticum Canticorum complexa. *Septimam* denique in ſolis Pſalmis ab ORIGENE additam, refert EUSEBIUS in *Hiſtor. Eccleſ.* L. VI. c. 16. in Prophetas tamen Minores

nores etiam exstitisse, intelligitur ex HIERONYMO ad Habac. 2, 11.

§. XIII.

Supra mentionem iniecimus operis *Biblici Harmonici*, ab ORIGENE, ecclesiæ seculi tertii doctore celeberrimo, adornati, quod *Tetraplorum*, *Hexaplorum* & *Octaplorum* nomine venit. Eius structuram EPIPHANIUS l. c. c. 18. & 19. EUSEBIUS l. c. & HIERONYMUS passim talem describunt, ut per sex columnas, iuxta se positas, tam Textus V. T. *Hebraicus*, quam Versiones *Græcæ*, quotquot tum suppetebant, uni obtutui sisterentur. Primam quippe Textus *Hebraicus*, litteris *Hebraicis* descriptus, secundam idem Textus, *Græcis* litteris expressus, tertiam AQUILÆ Versio, quartam SYMMACHI, quintam LXX *Interpretum*, sextam THEODOTIONIS Versio occupabat, hoc modo:

HEXAPLA.

TextusHebr. litterisHebr.	Textꝰ Hebr. litteris Græc.	Aquila	Symmachꝰ	LXX	Theodotion

Specimen eorum, præter BERNARDUM MONTFAUCON, exhibet FABRICIUS in *Bibliotheca Græc.* Vol. II. p. 346. seq. In quibusdam V. T. libris ORIGENES *Hexaplis* illis duas alias Versiones Græcas, *quintam* & *sextam*, §. præced. memoratas, addidit: qua ratione *Hexapla* illa fiebant *Octapla.*

OCTAPLA.

Textus Hebr.	Hebr. Græc.	Aquila	Symmachus	LXX	Theodotion	V.	VI.

Cum

Cum autem alicubi, ut in Psalmis, superadderet quoque *septimam* Versionem, *Enneapla* sic vocari poterant. In *Tetraplis* solæ Versiones AQUILÆ, SYMMACHI, τῶν LXX & THEODOTIONIS comparebant, Textu *Hebr.* omisso. Cum autem, ob operis amplitudinem & describendi difficultatem, paucissima eius exemplaria descripta fuisse facile colligantur, hinc nemini mirum videbitur, hodie saltem quædam eius superesse fragmenta, diligentissime collecta a JOH. DRUSIO in *Veterum Græcorum Interpretum in totum V. T. fragmentis*, a FLAMINIO NOBILIO in *Notis in Græcam* LXXII *editionem Romanam*, Tomo VI. Bibliorum *Polyglott.* Anglican. insertis, & omnium luculentissime a BERNARDO *de* MONTFAUCON in *Hexaplis Origenis*, duobus Tomis in fol. Parisiis an. 1715. editis.

ADDENDA.

AD SECT. I.

§. II. p. 7. Græcam linguam ex *Hebraica* & *Phœnicia* ortam esse, etiam notat D. W. TRILLERUS in *Observat. Crit.* p. 431. provocans ad REINESIUM, BOCHARTUM, MORINOS, LE MOYNE, SELDENUM, CLERICUM, GATAKERUM, GROTIUM, VOSSIUM, HUETIUM &c.

§. VI. p. 17. de *Harmonia* linguarum *Græc.* & *German.* agit quoque MATTH. BRÆNDELIUS in Præfat. ad *Anomalias* μισελλήνων.

§. VII.

§. VII. p. 18. Celeb. JOH. ERN. IMMAN. WALCHII Orat. de *litterarum Græc. ſtudio ad conſequendam Latinæ linguæ facultatem perutili.*

— p. 20. De *uſu* & *neceſſitate ling. Græc.* ROLLIN *de la maniére d'enſeigner & d'étudier les belles lettres* L. III. c. 3. ſect. 1. PFOCHENIUS in Diatribe de *linguæ Græc. N. T. puritate* §. 13-21. CHR. GOTTL. SCHWARZIUS in Program. de *laudibus Græcæ linguæ*, Verſibus Græcis Anacreonticis.

§. X. p. 25. De *Poëtriis Græcis* exſtat peculiaris Diſſertatio GODOFR. OLEARII.

§. XIII. p. 34. *Hiſtoriam linguæ Græcæ* tradiderunt quoque J. M. LANGIUS in peculiari *Meletemate* inſerto *Philologiæ Græco-Barbaræ* P. I. CAROLUS DU FRESNE in Præfat. ad *Gloſſarion* ſuum, & MEURSIUS in *Fortuna Attica* cap. ult.

§. XVI. p. 36. *Etymologicis* Græcæ linguæ addenda ſunt duo recentiora: MATTH. MARTINII *Cadmus Græco-Latinus*, & SAM. KOENIGII *Etymologicum Helleno-Græcum*, alibi a nobis laudata, ut Sect. I. §. 3. p. 8. Sect. III. §. 21. p. 134.

— p. 37. *Lexicis* Græcis in N. T. add. LUD. LUCII *Dictionarium Græco-Latinum in N. T.* ANDR. PAULI Θεμαθοϱολογία & JOH. DAWSON *Lexicon in N. T.*

§. XVIII. p. 40. OTTOMARUS LUSCINIUS in *Auctario Progymnasmatum Græc. in quo docetur, qua ratione aliquis citra præceptoris operam Græce diſcere poſſit.*

AD SECT. II.

§. VIII. p. 57. Pronunciationem *Eraſmicam* tuetur quoque W. G. BROSIUS in *Orthoëpia Græco-Latina* p. 9. & 52.

Ad finem §. VIII. p. 58. ALEX. HELLADIUS in Dialogo de *pronunciatione linguæ Græcæ in Europa*, præmisso eius *Spicilegio Grammatices Græcæ*, & Anonymus in Epistola parentis ad filium de *gemina pronunciatione Græca*, edita an. 1746.

§. X. p. 61. Pronunciationem linguæ Græc. incertam esse, etiam iudicant CLENARDUS ab initio *Gram. Græc.* & LEUSDENIUS in *Philologo Hebræo-Græco* Differt. X. sect. 6.

§. XI. p. 62. MEKERCHO etiam adstipulatur W. G. BROSIUS l. c. p. 25.

§. XXVIII. p. 89. Etiam Germanos Accentum in quartam, quintam & ulteriorem a fine Syllabam figere, notant Auctores *Grammat. Græc.* March. p. 1001.

AD SECT. III.

§. II. p. 107. Græcis *Ablativum* quoque tribuit JOH. VORSTIUS in *Syntagm. Miscellaneorum Academ.* p. 71. 72.

AD SECT. V.

§. VI. p. 172. Quædam *Præpositiones* apud solos Poëtas cum *Dativo* construuntur, ut ἀνὰ & μετὰ, qua de re cum Grammatici vulgo taceant, Lexica consulenda sunt.

CORRIGENDA.

Pag. 20. lin. 11. pro DION. VOSSIUS leg. HENR. VRANIUS. p. 27. lin. 27. *putantur*. p. 39. lin. 16. *Historia Critica*. p. 48. lin. 28. *Gottschedianæ*. p. 70. lin. 22. *Sibyllinis*. p. 83. lin. 8. *penultima*. p. 85. lin. 14. *phænomenis*. p. 212. lin. 16. AESCHINES. p. 215. lin. 29. *prælongas*.

INDEX



INDEX I.

LOCORUM BIBLICORUM.

INDEX I.

I CO-

INDEX II.

RERUM NOTATU DIGNIORUM.

A.

raro

Apolli-

Car-

Codice

Conso-

Defi-

Dubi-

Figu-

 perla-

H.

I.

Muta-

Novellæ

Π Ad-

P.

Penta-

Posi-

(Petr.)

S.

Sexta

Spiri-

Theo-

V.

Viro-

Y.

Z.

